Q. D. B. V.

PROBLEMA JURIDICUM

AN HÆRESIS SIT CRIMEN?

In

ACADEMIA FRIDERICIANA,

Rectore Magnificentiſſimo,

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DOMINO

FRIDERICO WILHELMO,

ELECT. BRAND. HÆREDE &c. &c. &c.

PRÆSIDE

DN. D. CHRISTIANO THOMASIO

Conſ. Elect. Brand. & Prof. Publ.

d. 14. Jul. Anni M. DC. XCVII.

H. L. Q. C.

Publico & placido Examini ſubjiciet

JOHANNES CHRISTOPHORUS Rube/

Advoc. Duc. Sax. Salfeld.

HALÆ,

Typis CHRISTOPHORI SALFELDII, REGIM. ELECT. BRANDENB. Typogr.

B. C. D.

Problema Juridicum
AN HÆRESIS SIT CRIMEN?

I.

ORthod. Itane, *Chriſtiane*, te ſemper inter libros ſtudentem invenio. Quid eſt, quod jam meditaris, cum JCtos & Theologos circa te evolutos deprehendam? *C.* Equidem opportunè advenis, *Orthodoxe*. Tuô enim auxiliô mihi opus eſt. Probe ſcis, quænam controverſiæ, ſi unquam, hoc certè tempore inter Theologos Eccleſiæ noſtræ ventilentur. Scis, quod in ejusmodi contentionibus, ſi non utraque pars, una certe ab alterâ poſtuletur hæreſeos. Scis, qvod hâc occaſione non ſemel, qui aliis ſuſpecti videntur, ab denuntiationem horum in judicium protracti, ac more proceſſus inquiſitorii cum illis actum fuerit. Unde cum ſubinde vel à Collegiis noſtris vel etiam à ſingulis JCtis ſententiæ aut reſponſa petantur, res mihi digna fuit viſa, quam paulo profundius meditarer. Neſcio enim, quo pacto factum fuerit, ut ſententiæ communiter etiam inter JCtos proteſtantes de crimine hæreſeos receptæ, jam ab aliquo tempore de falſitate mihi valdè ſuſpectæ fuerint. Et quemadmodum, ut jam ab aliis notatum, in cauſis matrimonialibus in foris proteſtantium multa obtinent papiſmum redolentia, & ex hypotheſi, matrimonium eſſe ſacramentum, propullulantia; ſic & illæ hypotheſes, quas in cauſis hæreſium obſervamus, & quibus innituntur reſponſa aut conſilia noſtra, maximopere à ſana Evangelii doctrinâ recedere mihi viſi ſunt.

Nec diffiteor, qvò magis JCtorum noſtrorum libros de hæreſi evolvo, iisque Theologorum noſtrorum tradita jungo, eò magîs in opinione illâ meâ confirmor. Sed Tu fortè, *Orthodoxe*, commodius ſcrupulos illos meos mihi eximere poteris, cum & diutius me in Jurisprudentiâ ſis verſatus, & antequam huic te addixeris, olim per aliquot annos Theologiæ ſtudio dederis operam. Age igitur, ſi lubet, & quid tibi hâc de re videatur, expone. *O.* Faciam id quidem libenter. Neque multum difficultatis hîc ſubeſſe arbitror, cum jam aliquoties noſtratibus ab ipſis Pontificiis ſit imputatum, acſi in doctrinâ de coercitione hæreſium eadem cum ipſis ſtatuerent, contrà qvam imputationem tamen validè & à Theologis & à JCtis noſtris eſt reſponſum, oſtenſumque, magnam eſſe differentiam inter ſententiam Pontificiorum & noſtram. *C.* Quam vero? *O.* Quantum recordor, Pontificii communiter ſtatuunt, ad religionem hæreticos poſſe cogi, &, ut criminis maximè horrendi reos, capite puniri. Noſtri autem neminem ad religionem cogi volunt: neqve adeò ob crimen hæreſeos capitalem pœnam dictitant, ſed ultra excommunicationem ac relegationem vix procedunt, niſi cum hæreſeos crimine aut ſeditio, aut blaſphemia ſit conjuncta. Circa hanc vero doctrinam non poſſum videre, quid minus rectè dictum ſit, cum omnia potius mihi videantur eſſe plana atque principiis juris convenientia. *C.* Eſt ita, ut dicis. Et ipſe illam vel ſimilem differentiam inter doctrinam Pontificiorum & Proteſtantium à multis inculcatam legi. Verum ea mihi non ſatisfacit. *Sed in eo etiam Proteſtantes Papizare mihi videntur, quod non perſpicuè tradere poſſint, quid ſit hæreſis; quod hæreſin pro crimine habeant; quod coactionem religionis unâ manu impugnantes, alterâ rurſus defendant vel eo ipſo, quod volunt hæreticos excommunicatione vel relegatione puniri debere; quod doctrinam de ſeditioſis & blaſphemis hæreticis ita obſcurent, ut pro lubitu in omnes hæreticos æquè gladio ſævire poſſint, ac Pontificii: quodque adeò paſſim nimis incautè doctrinas apertè Pontificias de hæreſi vel in Commentarios ſuos Juridicos, vel in Syſtemata Theologica tranſtulerint.* Atque ne id gratis tibi dixiſſe videar, poſſem vel ex Benedicti Carpzovii criminalibus, quæ hîc ad manus ſunt, tibi ſingu-

ſingula oſtendere. Virum malo tecum ipſo de ſingulis diſtinctius diſſerere. *O.* Non repugno. Vide modò, ne deficias in probatione eorum, quæ aſſeruiſti.

II.

C. Non eſt, qvod de eo ſis ſollicitus. Erit potius neceſſe, ut ante omnia conveniamus *de fontibus, unde probationes aſſertionum noſtrarum ſint deſumendæ?* *O.* Unde in materia Juridica? niſi ex Legibus receptis, puta Jure Juſtinianeo, Canonico, Recesſibus imperii, & ex communi conſenſu Patrum Eccleſiæ, Theologorum, JCtorum. *C.* Jocaris, ut arbitror. Nam cum dixerim papizare hîc JCtos, h. e. repugnare eorum aſſerta Juri divino & doctrinæ Chriſti, facilè patet, quod nullas *leges humanas* hîc admiſſurus ſim, omnium minimè vero *Jus Juſtinianeum* & *Canonicum*. Hoc enim non papizat quidem, ſed totũ Papale eſt. Iſtud vero in tantum refertum eſt doctrinis Anti-Chriſtianis, ut JCtus qvidam Pontificius Cornelius à Rynthelen, in peculiari tractatu, qvem inſcripſit *Juriſtam Romano Catholicum*, per ſingula loca controverſias, in qvibus à Pontificiis abierunt Proteſtantes, ex Jure Juſtinianeo pro Pontificiis definiverit. Porro cum dixerim, communem doctrinam papizare, ridiculum foret, communem conſenſum cantrà me adducere, cum non quæſtio ſit, an communiter hîc conſentiant eruditi, ſed an recte conſentiant? *O.* Patrum temen Eccleſiæ teſtimonia non ita ſimpliciter rejicies, præprimis vero Auguſtini, ut qvi maximè ſobriè in hâc doctrinâ videtur proceſſiſſe, cujusqve penes omnes tres religiones in Imperio magna ubiqve ſolet eſſe autoritas. *C.* Patres qvidem primitivæ Eccleſiæ veneror: Sed eorum tamen autoritas mihi nunqvam tanta erit, ut ex injuſto poſſit facere juſtum aut contrà. Non repugno tamen, ut loca eorum adducantur, qvà rationum continent pondera. Licebit etiam adverſus eos, qvi Patrum autoritate hîc nituntur, alia Patrum loca καθ' ἄνθρωπον adhibere. *O.* Sed qvid *de Auguſtino* addis? *C.* Ejus autoritas vel ideò mihi ſuſpecta eſſet, ſi aliam cauſam non haberem, quod, ut dixiſti, magna ejus ſit autoritas penes ſingulas Religiones in Imperio receptas. *O.* At hoc non capio. Loqvere cla-

clarius. *C.* Dixit olim qvidam Eccleſiæ Pater, ni fallor Hieronymus, totum ferè mundum Arianum factum fuiſſe, Non errabo, ſi dixerim, totum ferè orbem Chriſtianum Auguſtinianum factum eſſe, & jamdudum Chriſtianum eſſe deſiiſſe. Inter Pontificios qvantum litigetur ſuper autoritate Auguſtini, vel Janſeniſmi Hiſtoria docere poteſt. Lutherus, uti Auguſtinianus fuit, ita ſubinde nimium tribuit ac invidendis encomiis extollit Auguſtinum, multaqve hauſit ex Platonizante, vel certè Paganizante Theologia Auguſtini, qvæ haurienda potius fuiſſent ex purioribus fontibus Iſraelis. Neqve adeò mirum, quod hodiè noſtrates & Theologi & JCti plus, qvam par eſt, ejus autoritati & libris tribuant. De Reformatis nondum adeò exploratum mihi eſt, quantum hi communiter de ipſo ſentiant. Putarem tamen & de his ea quæ dixi, non difficulter probari poſſe, præprimis cum Auguſtinus in diſputatione adverſus Pelagium ſubinde particularem gratiam inculcet. *C.* Sit ita, non tamen propterea ejus autoritas plane rejicienda, aut tam ſcabioſe ſentiendum erit de Magno illo Auguſtino. *O.* Scabioſè de eo non ſentio. Ipſe dico, quod Magnus fuerit Auguſtinus. Fuit Magnus Diſputator, Magnus Orator, Magnus Philoſophus, Magnus Politicus, &, qvi ex his partibus ſecundùm ſenſum mundi componitur, Magnus Theologus. Addo: habuit virtutes Regias & Heroicas. Vereor autem, ut in ſcriptis ſuis ſe exhibuerit, ut Magnum Chriſtianum. Ita ſingulæ ferè ejus paginæ affectus amoris aut odii produnt, nec ſpirant humilitatem & potentiam illam Apoſtolicam, ſed alta verba ſonant carnem excitantia eiq; placentia valdè. At de iſtis qvidem fortè aliâs, præprimis cum alia ſubſit ratio, cur Auguſtinum in hâc controverſiâ judicium aut teſtem detrectem. *O.* Qvænam vero? *C.* Laboravit Auguſtinus communi illo humani generis nævo, qvo, ſi alii nos injuria afficiant, facillime jus videamus, ipſosqve de æquitate admoneamus, at, ſi vindictam ſumendi occaſionem nanciſcamur ipſi, cæcutiamus ſtatim, & ſub ſpecie recti, æqvitatis prioris ob liti, iniqua agamus, eaqve ſub larva æqvitatis aliis occultare ſtudeamus. Donatiſtis in orthodoxos graſſantibus, egregiè ſe

oppo-

oppoſuit Auguſtinus, eosqve docuit, quam parum Chriſtianè qvis ad religionem cogatur. Sed cum Imperatores ex ſua formula nacti eſſent orthodoxi, mox veſtem vertit Auguſtinus, &, quamvis ſub magnâ ſpecie miſericordiæ & æqvitatis, coactionem hæreticorum defendit. Et in tantum qvidem diverſus in hac materiâ à ſeipſo comparuit ſubindè Auguſtinus, ut eruditis occaſionem dederit fœcundam de genuinâ ejus ſententia in doctrina de perſecutione hæreticorum diſſentiendi. Ab utraqꝫ enim parte in partes hîc vocari ſolet. Pro coactione hæreticorum v.g. adducunt Bellarminus (a) Franciſcus Burchardus, (b) Hierotheus Boranowsky (c) aliiqve. Rurſus horum adverſarii, Antonius Benbellona (d) Samuel Pomarius (e) & noſtrates paſſim contrà Pontificios pro libertate conſcientiarum ejus teſtimoniis utuntur & adverſa mitigare ac conciliare allaborant, etſi ſæpè ſophiſtice magis, quàm ex ratione. De duriore in hæreticos ſententiâ Auguſtini queruntur Johannes Clericus (f) & Philippus à Limborch (g) qvam tamen defendere mentemq; Auguſtini paulò aliter explicare intendit Petrus Poiret, (h) qvamvis, ut alibi (i) dixi, priorum ſententia mihi videatur verior. *O.* Audio pleraqve nomina heterodoxorum, atque ut ſæpius dixi, eorem lectionem in te minus probo: Deberes libellos orthodoxorum noſtrorum diligentius evolvere, nec adeò ſtudio novitatis, ſepoſitis his, alienarum ſectarum homines ſcrutari. *C.* Ego vero didici, omnia probanda, qvæ bona ſunt, retinenda eſſe. Didici, Chriſtianum in Sectis qvidem, ut in mundo debere vivere, ſectam vero non facere. Vivo in Sectâ, in qvâ natus ſum, ejusqꝫ ritibus, qvousqꝫ conſcientia permittit, me applico. Propterea tamen aliarum ſectarum homines non odi,

---

(a) *Bellarminus l. 3. de Laicis c. 21. ſeqq.* (b) *Franc. Burchardus* von der Freyſtellung *Part. 2. c. 16. p. 181. ſeq. c. 17. p. 188. c. 20. p. 203. & paſſim.* (c) in gerechtfertigten Gewiſſens Zwang *paſſim.* (d) *in ſuſcitabulo pro Principibus Part. 1. c. 4. p. 28. Part. 2. c. 14. p. 137.* (e) in ungerechten Gewiſſens-Zwang *paſſim.* (f) *defenſe des ſentimens ſur P Hiſtoire Critique, lett, 14. p. 366. ſuiv.* (g) *Hiſt. Inquiſ. l. 1. c. 6.* (h) *append. 5. apol. ad libros de erudit. ſolidâ &c. p. 457, ſeqq.* (i) *in diſſert. de ſcriptis Poireti.*

odi, non odi meæ ſectæ homines, ſed ex omnibus colligo veritatē, vel potiùs omnes ad normam ſapientiæ, quam in Scripturâ S. invenio, examino, neque per ullum fidei meæ imponi patior. Neque adeò neglexi hac in re, de quâ collocuti ſumus, conſulere ſcriptores ſectæ, in quâ vivo. Scripſit *Elias Veielius*, Theologus Ulmenſis, Theologus Lutheranus & adeò tibi orthodoxus, *Diſquiſitionem Theologicam de Sententia Auguſtini, an hæretici ad fidem ſint cogendi*? Non diffitetur hic, Auguſtinum priorem & S. Scripturæ convenientem ſententiam de tolerantiâ hæreticorum in poſterioribus ſcriptis mutaſſe: Etſi poſt alios excuſationis loco afferat, non defendiſſe tamen Auguſtinum necem hæreticorum, vel Donatiſtas non habuiſſe cauſam, etiam de hâc iniquiore paululum ſententiâ Auguſtini conquerendi. Quod tamen, ut puto, ad quæſtionem ipſam parum pertinet. Fatetur interim iſte Autor; (*l*) *Imbellia quandoque Auguſtinum ex locis quibusdam ſcripturæ fabricare tela; & doctos quoslibet non acumen diſputantis, ſed Rhetoricantis Auguſtini deprehendere. Et vel hoc exemplo ſecundum Grotium apparere, quanto aliter judicemus, cum res ipſas ſine affectu introſpicimis, aliter cum quæſtio facti incidit, quo fiat, ut non ſemper ſint* σοφωτεραι αἱ δευτέραι φροντίδες. Hæc igitur cum ita ſint, ſatis cauſarum mihi eſſe oſtendi, cur in doctrinâ præſenti Auguſtini maximè autoritatem deprecer. *O.* Cum ergo & Leges humanas & autoritates eruditorum hîc non admittas ex quibus aliis fontibus probationes dicendorum aſſumi vis? *C.* Ex nullis aliis, quam ex perennibus iſtis & univerſalibus, *revelatione* puta & *ratione*. *O.* Ita vero metabaſis committetur. JCti ſumus, problema Juridicum tractare vis: Probationes ex revelatione ſeu ſcripturâ ad Theologiam pertinent, ex ratione ad Philoſophiam. *C.* Neſcio quam tu Jurisprudentiam didiceris. Mea Jurisprudentia leges Divinas agnoſcit pro fundamento, & leges humanas rationi ſubnixas. Quodſi tu habeas Jurisprudentiam à revelatione & ratione alienam, cave ne eam pro impiâ & irrationali habituri ſint omnes ſanâ ratione utentes.

III, O.

(*l*) *d. Diſſert. p. 43. 44. conf. Dommarcinus à Diſſingau* von der *Autonomiâ c. 11. p. 216. ſeq.*

III.

O. Transeant iſta. Puto enim communem doctrinam de crimine hæreſeos nec ſcriptura deſtitui, nec ratione. Tu ergo, qui in alia es opinione, diſſere de iis, quæ ſcrupulum tibi moverunt. *C.* Ego vero nec Sophiſtam hîc agam, nec Rhetora, ſed, ut Amicum decet, planis interrogationibus dubia mea tibi ipſi inſinuabo. Puto, ſi non falſum, certe dubium eſſe, quod Hæreſis ſit crimen. Tu planum eſſe dicis, eſſe hæreſin crimen. Quid igitur ſtatuis, an leges bonæ diſputationis obſervabimus, ſi neſciamus, quid ſit hæreſis, aut in conceptu hæretici non conveniamus? *O.* Minimè. Nam hæreſis non eſt ex rebus, quæ in ſenſus incurrunt, ſed quæ mente formantur, & intelliguntur. *C.* Dic igitur tu, qui aſſeris, hæreſin eſſe crimen, quid ſit hæreſis, ego enim, qui dubito eâ de re, mihi firmiter perſvadeo, nec me ſatis intelligere, quid ſit hæreticus & hæreſis, nec te, aut tui ſimiles, qui hæreſin pro crimine habetis. *O.* Miſces hic ſatis apertè rem difficilem cum impoſſibili. Etſi enim jam Auguſtinus ſuo tempore dixerit, difficile eſſe, definire hæreticum, non tamen impoſſibilia ſunt ea, quæ ſunt difficilia, ſed ex proverbio pulcra putius, ſi difficultatem ſuperaveris. *C.* Ergo difini: An hæreticus is eſt, *qui vel levi argumento à judicio catholicæ religionis & tramite detectus fuerit deviare?* *O.* Minimè. Jam enim notavit Wiſſenbachius, *(a)* definitionem iſtam vagam & falſam eſſe, cum ſecundum Auguſtinum non omnis error ſtatim ſit hæreſis, ſed ad hæreſin maximè requiratur pertinacia. *(b)* *C.* Iſta tamen definitio legum Iuſtinianearum eſt, *(c)* & vel hoc exemplo vides, licere in hâc materia à Jure Juſtinianeo recedere. Transeat tamen hic Auguſtinus. Etiamſi enim ille hæc non dixiſſet, maneret tamen ea definitio obſcura & vaga, cum æquè obſcurum ſit, quid ſit catholica religio ejusque trames. Et noſti haud dubiè, quod Pontificii ex iſtâ definitione nobis inſultare ſoleant, *(d)* dum ſibi titulum Catholicorum ex diutinâ poſſesſione vel quaſi vin-

---

(a) *ad Cod. tit. de hæret. init.* (b) *c. dixit 29. C. 24. qv. 3.* (c) *l. 2. C. de. hæret.* (d) *Conf. Corn. à Rynthelen Juriſt. Rom. Cathol. c. 70. p. 154.*

vindicant. C. Quid de definitione Juris Canonici ſentis, *quâ hæreticus eſt*, (e) *qui alicujus temporalis commodi & maximè gloriæ principatusque ſui gratiâ falſas ac novas opiniones vel gignit vel ſequitur?* O. Illa adhuc magis vaga eſt & falſa, cum errores Philoſophici, Medici aut Juridici non faciant Hæreticum, ſed errores in fide. Quamvis & iſta additio fortè *in d. canone* ſubintelliganda ſit. C. Nolo te hic premere, aliâs facile oſtendere poſſem, omnem hæreſin ultimò reduci ad prætenſum errorem in Philoſophia. O. Secundum Pontificios quidem id concedere poſſem, utpote qui philoſophiam ſcholaſticam fundamentum faciunt Theologiæ. Sed hos hîc ſeponamus. C. Imò etiam ex eâdem ratione ſecundum Evangelicos. Sed tranſeat. An ergo error in fide erit hæreſis? O. Addenda ſunt pauca: *Hæreſis eſt pertinax error in fundamento fidei ejus, qui eſt aut fuit membrum Eccleſiæ.* In hoc enim conveniunt ferè Doctores Pontificii, Lutherani, Reformati, Theologi & JCti. *(f)* Omnia hîc perſpicua. Per id enim, quod hæreſis ſit *error intellectus*, differt hæreſis ab aliis criminibus, qui ex voluntate oriuntur, ut homicidium, adulterium &c. Per *pertinaciam* ſeparantur hæretici graviores ab imbecillioribus & magis innocentibus, qui non ſunt ſeductores, ſed ſeducti; per errorem in *fide* diſtingvitur hæreticus ab errantibus in Philoſophia & aliis diſciplinis; per errorem in *fundamento* fidei, differt ab errantibus in articulis non fundamentalibus, qui magis pro ſchismaticis habentur. Denique quod hæreticus ſit *membrum Eccleſiæ*, differt hæreſis à Paganiſmo, Muhamedaniſmo, Judaiſmo. Ergo cum per ſingulas ferè voces ab aliis rebus affinibus perſpicuè diſtingvatur hæreſis, non video, quo jure tu quid in iſtâ definitione monere poſſis.

IV.

C. Videbimus ſtatim. Non ſufficit enim ad rei perſpicuitatem plura verba affere æquè obſcura aut obſcuriora, ac res ipſa eſt,

(e) *c. Hæreticus. 28. C. 24. q. 3.* (f) *Farin. P. 8. qv. crim. 178. §. 1. Carpz. qv. crim. 44. n. 4. Ziegl. ad Lanc. p. 939. Voet. P. 4. diſſert. ſelect. diſp. 4. de error. & hæreſ. p. 723. ſeq. Limborch. Hiſt. Inquiſ. L. 3. c. 1. p. 175.*

eſt, quam exponere intendis, ſed neceſſe eſt, ut de ſingulis definitionis verbis claras & certas notiones habeat intellectus. At quot verba protuliſti, tot obſcuritates aut dubia, aut falſitates mihi ſubeſſe videntur. De *Eccleſia* equidem nihil urgebo, cum tamen hæc vox, ſi quæquam, multis obſcuritatibus ſit obnoxia, & ad diem extremum forte litigaturi ſitis de notis veræ Eccleſiæ. Non dicam, veſtram orthodoxiam in multis hîc abire à Canone Scripturæ, partim, cum vocem Eccleſiæ cum Doctoribus Antichriſtianis & Legibus Juſtinianeis papizantibus *(g)* à ſocietate fidelium tranſtuliſtis ad acervos lapidum ſeu templa; partim, cum unitatem veræ Eccleſiæ in toto orbe diſperſæ ac inviſibilis cum Papiſtis in cœtu aliquo viſibili quæritis; partim, cum ex Pontificiis in veſtrâ ſyſtemata tranſtuliſtis, cœtum veræ Eccleſiæ eſſe viſibilem, ſingulos fideles veræ Eccleſiæ eſſe inviſibiles, quod tamen contradictionem involvit, & doctrinæ de relatione univerſalium & ſingularium repugnat. Sed tranſeant iſta, cum verba illa definitionis mihi utcunque differentiam inter hæreticum ac Judæum &c ſuppeditent. Tu potius mihi expone, quid ſit *fundamentum* fidei? cum per hanc vocem dicas, differre hæreticum à ſchiſmatico, quamvis hic iterum condonem dubium, an hæc differentia genuina ſit, cum Doctores alii aliam ponant. *(h)*
O. Id equidem exponere ad Dominos Theologos pertinet, qui multa diſputant de articulis fidei fundamentalibus. *C.* Verè dixiſti, diſputant, & diſputabunt in æternum. At vero hoc eſt, quid dixi: Vos neſtire, quid ſit hæreſis; neſcitis enim, quid ſit fundamentum fidei, & infinitæ ſunt hîc diſſenſiones in orthodoxia. Quem enim articulum hic pro fundamentali habet, alter pro fundamentali non habet. Nondum certus numerus articulorum fidei determinatus eſt, & in Syſtematibus ipſi Doctores in eorum enumeratione differunt. Nec publicæ formulæ ad fines articulorum fundamentaliũ circumſcribendos ſufficiunt, cum Theologi noſtrates quosdam explicitè, multos implicitè in A. C. latere

 aſſe-

(g) *l. 1. C. de SS. Eccleſ.* (h) *Lancell. & ibi Ziegl. p. 938. ſeq. Limborch. d. L. 3. c. 7. ſ. 199. Pomar.* in ungerechten Gewiſſens-Zwang. *P. I. p. 199.*

aſſerant. (a) Tempus & locus, item diverſitas perſonarum ſæpè variarunt fundamentales Articulos. Olim Flacius pro hæretico habebatur, i. e. tali, qui in articulo fundamentali erraret, traducebatur publicè ut Manichæus, i. e. peſtilentiſſimus & capitalis hæreticus. Hodiè mortuô eô, & extinctâ ferè ejus ſectâ, ac ita affectu & intereſſe adverſariorum ejus paululum mutatô, plerique mitiùs ſentiunt, ac inter Schiſmaticos referunt Flacium, id eſt, ejus doctrinam de peccato ſubſtantia hominis, fundamentum fidei non impugnare concedunt. Patres antiqui, qui Chiliaſmum defendebant, in tantum pro hæreticis non habebantur, ut & inter martyres referrentur, pro quibus & hodienum habentur, indicio, iſtam ſententiam in patribus pro erronea aut certè fundamentum fidei petente non haberi, cum abſonum ſit & contradictionem involvat, hæreticos eſſe Martyres. At qui hodiè & nunc Chiliaſmum, & quidem cum confuſione diſſentientium, docent, à noſtratium plurimis pro hæreticis diffamantur. Papiſtæ nobis audiunt hæretici, uti nos ipſis. Et tamen ex Papiſtis Taulerus, Thomas à Kempis, S. Thereſia, aliiq;, (etſi haud dubiè, ſi non in omnibus, in multis tamen aſſertionibus, quibus, A. C. contradicit, errores Pontificiæ doctrinæ pro veris habuerint,) à multis nec ſine ratione pro ſanctis habentur. Implicat vero iterum, eſſe ſanctum ſimul & hæreticum. Multi ex noſtris diſſenſum inter nos & Pontificios ac Reformatos talem eſſe, ut facilè conciliari aut ſaltem mutua tolerantia introduci poſſet, arbitrati ſunt, quod diſſenſus iſte fundamentum non petat. Plurimi verò ita à prioribus diſſentiunt, ut illos etiam Syncretiſtarum infami nomine appellaverint, & adverſus eos, tanquam hæreticos, & in fundamento fidei etiam graviſſimè errantes, invectivas multas ſcripſerint. Quamvis jam poſtiriores hi priores, de priore ſua tamen ſententia de conciliatione iſta nihil mutantes, & ſaltem ſe poſterioribus adverſus tertios in nova condemnatione horum unientes, rurſus pro fratribus in Chriſto, adeoque non amplius pro hæreticis agnoſcant. Porrò etſi haud dubiè illi, qui ſaltem autoritatis præjudicio non eſt totus immerſus, facilè appareat, quæ-

(a) *vid. Append. Grubelii ad Dedekenni Conſilia Theologica f. 8.*

cunque demum differentia ſit inter articulos fundamentales & non fundamentales, magnum tamen diſcrimen hâc parte eſſe inter diſſenſum noſtrorum cum Pontificiis & eum, qui cum Reformatis eſt; notum tamen eſt, magnam partem inter nos, & quæ maximè orthodoxa audire vult, diverſum ſtatuiſſe, & integris libellis **lieber Papiſtiſch als Calviniſch**/ iſtam ſuam ſententiam aſſeruiſſe. Orta etiam eſt ex incerta illa & vaga de fundamentalibus fidei articulis ſententia, iſtud inconveniens, ut, cùm diſſenſus nonnulli Theologorum inter ſe ita eſſent comparati, ut vel opificibus pateret, aut certè aliis politioribus de Laicorum numero, non eſſe diſſenſum de re ad fidem, multò minùs ad ejus fundamentum pertinente, diſſentientium tamen illa pars, quæ prurigine præ altera laboraret, ſub larva Zeli divini aliis inſultandi, ex propoſitione innoxia, vel ſaltem de conceptu aliquo philoſophico agente, per conſequentias conſequentiarum faceret hæreſin, articulis aliis, ex majori conſenſu fundamentalibus, adverſam, fruſtrà poteſtante alterâ parte & de injuria ſibi facta conquerente, atque conſequentias illas nagante. Quod quidem cacoethes ſic crevit, ut vix ſeveris Principum edictis potuerit coerceri. *O.* Sunt illa, quæ hactenus dixiſti, ita publicè nota, ut ferè & mihi ſcrupulum motura ſint, tanquam, qui de iis hactenus non cogitaverim. Meditabor tamen illa profundius aliâ occaſione, ne quid temerè committam. Neque deerunt forte Theologis, cum quibus conferam, reſponſiones ad hoc dubium tuum. *C.* Reſponſiones nunquam deerunt. Sed ſi reſponſiones audiveris ad rem pertinentes, & affectu ac iracundiâ vacuas, & mihi eas imperti. Sic enim hactenus ſtatuere ex ipſis rerum circumſtantiis coactus fui, affectus Cleri, ſi non omnium, ſaltem plerarumque hæreſium cauſas fuiſſe. Atque illos quidem Clericos, qui moratiores audire voluerunt, adverſarios Schiſmaticorum nomine, tanquam hodie non adeò invidioſo inſigniviſſe, ruſticiores contrâ & conſortio hominum civiliori parum aſſvetos, vel leviſſimum à ſe, aut præceptoribus, vel amicis diſſenſum, tanquam hæreſin traduxiſſe. *O.* An ergo ſtatuis, nullum eſſe fidei fundamentum, ſed omnia eſſe de fide incerta?

certa? C. Abſit, ut id de me præſumas. An incertitudo docentium tollet certitudinem noſtram? Eſt, eſt omninò fundamentum fidei, ſunt articuli fundamentales, quos & ipſe facilè invenies, ſi eos à præjudicio autoritatis vacuus, apud Doctorem Doctorum in ſanctis libris quæſiveris. O. Velem tuam ea de re ſententiam audire. C. Id fortè à ſcopo alienum eſt. Inſtitui enim diſcurſum tecum, ut à te aliquid diſcerem. Si tamen confeſſionem meam hâc de re audire vis, ſtatuo, fundamentum fidei eſſe amorem DEI ac proximi, & odium ac contemptum ſui ipſius. Qui hæc impugnant errores, fundamentum fidei meæ petunt, reliqui, & præprimis de myſteriis eſſentiæ divinæ ad fundamentum fidei meæ & aliorum etiam Chriſtianorum ac Evangelicorum non pertinent. Quodſi verò hæretici ex mea hac ſententia metiendi ſint, vereor ut multi ex orthodoxiſſimis, ſub quorum nomine omnes intelligo, qui fidem ſalutarem ad formulas & ſymbola metiuntur, hæreticorum claſſi ſint adſcribendi O. Ego autem vereor, ut tua hæc ſententia noſtris ſe parum ſit commendatura, cum ea, quæ tu fundamenta fidei dixiſti, & originem ejus, illi ad fructus referant, vel ſimile quid contrà te dicturi ſint. C. Dicant, quid velint. Ego ſemper paratus ero, rationem fidei meæ reddere. Jam ſaltem ex te id licebit quærere, Gallina unde ortum habeat? O. Quid verò hæc quæſtio ad rem præſentem? Haud dubiè Gallina eſt ex ovo. C. Mira dicis & non toleranda, cùm ovum ſit fructus Gallinæ. O. Jam ſentio, quid velis. Sed audi: A diverſis ad diverſa malè infertur. C. Ego vero non infero, ſed falſitatem illationis aut pravæ diſtinctionis oſtendo. Verùm ſufficiant hæc, cùm, ut dixi, mea intentio non ſit tecum de fundamento fidei diſputandi. Pergam potius in dubiis contrà definitonem hæreſeos datam O. Iſta quidem, quæ jam protuliſti, videntur mihi talia eſſe, ut non contemni debeant. Suntne adhuc alia?

V.

C. Sunt utique. Dixiſti hæreſin eſſe errorem in fundamento fidei. Dic mihi, quid ſit *fides*, nam & id ignoro. O. Miſeret me tui, quod principia & prima rudimenta Chriſtianiſmi igno-

ignores. Annon in ſcholis didiciſti definitionem fidei vel ex compendio Hutteri? *C.* Didici omninò, ſi diſcere eſt, rem, quam non intelligo, memoriæ mandare, & ſine intellectu credere, aliquid eſſe verum, quod homines autoritate pollentes verum eſſe dicunt. Memoriâ teneo requiſita fidei quæ noſtrates in Libris Symbolicis & paſſim contra definitionem fidei Pontificiam inculcant. Intelligo facilè, conceptus Pontificiorum de fide eſſe erroneos, non tamen intelligo diſtinctè ac ſufficienter, quos conceptûs noſtrates de fide inculcent, cùm conceptus illi non videantur ubique cohærere, nec ipſi etiam conſtantes ac unanimes ſint in iſtis conceptibus. Nec poſſum diſſimulare ſcandalum, quod mihi, ſeriò, ut cuilibet de felicitate ſua ſollicito convenit, inquirenti in ſcriptis noſtrorum, datum eſt, dum inveni non ſolùm compendium Hutteri, quod tamen fundamenta prima in teneris ingeniis ponere debet, à ſe ipſo infinitis in locis abire, h. e. verſionem Germanicam ipſius Hutteri, ab ipſo tamen magnâ curâ, ut præ ſe fert, & juſſu publico adornatum, ſæpiſſimè ſenſum compendii latini planè immutare; ſed & in ipſis libris Symbolicis ſubindè textum Latinum parum convenire cum textu Germanico. Unum cape ſpecimen ex Apologiæ *capite de Juſtificatione.* Ibi in Latino dicitur de fide *juſtificante: (a) Illa fides, quæ juſtificat, non eſt tantum notitia hiſtoria, ſed eſt aſſentiri promiſſioni Dei, in qua gratis propter Chriſtum offertur remiſſio peccatorum & juſtificatio.* In Germanico ita ſonat & longe plenius: (*b*) **Der Glaube / welcher für Gott from̃ uñ gerecht macht iſt nicht allein dieſes / daß ich wiſſe die Hiſtorien / wie Chriſtus gebohren / gelitten ꝛc. ſondern iſt die Gewißheit / oder das gewiſſe ſtarcke Vertrauen im Hertzen / da ich mit gantzem Hertzen / die Zuſage GOttes für gewiß und wahr halte / durch welche mir angeboten wird / ohne mein Verdienſt / Vergebung der Sünde / Gnade und alles Heil durch den Mitter Chriſtum.** *O.* Mihi vero hic in ſenſu nulla aut certè exigua videtur eſſe diffe-

(a) *p. 68. F. C.* (b) *ibid. ſub rubr.* **Was der Glaube ſey**, *Verſ.* **darum von dem rechten Chriſtlichen Glauben.**

rentia. *C.* Imo maxima. In genere Fidem alicui habere, alicui credere, duplicem, eamq; valdè diſtinctam notionem infert, unô modô, quô fides illa, & illud credere eſt actus *intellectus*, certitudinem aliquam aut *aſſenſum* internum cogitationum noſtrarum in *cerebro* ſupponens, qualis fides in jure noſtro intenditur à partibus litigantibus, ut excitetur in Judice per probationes, & de qua etiam eſt integer titulus Pandectarum, *de fide inſtrumentorum.* Alterô modô denotat *fiduciam* in *voluntate*, quæ affectus *cordis* eſt, & nonniſi ex amore oritur: cum impoſſibile ſit confidere alicui ejusqve promisſionibus, niſi eum amem, aut certe, ſi eum non amem. Fides, quæ in intellectu eſt, parum differt à fide hiſtoricâ, ſaltem non poteſt eſſe ſalvifica, quia eadem & Diabolis competit. Ergo neceſſe eſt, ut fides ſalvifica ſit fiducia voluntatis, non ſaltem aſſenſus intellectus. Jam conſidera quæſo: Textus Germanicus loquitur expreſſe de *fiducia voluntatis in corde.* **Das ſtarcke Vertrauen im Hertzen, da ich mit gantzem Hertzen** *rc.* Textus Latinus de intellectu: *aſſentire* promiſſioni Dei. Saltem de corde ibi nulla mentio. *O.* Debet igitur Textus latinus ſecundum regulas benignæ interpretationis ſuppleri ex Germanico, & vocabulum aſſenſus pro fiduciâ accipi, etſi ſignificatu paululùm duriore aut impropriô. Notum enim eſt: verba tùm impropriè accipienda eſſe, ubi ex propria earum acceptione ſeqveretur abſurdum. *C.* Conſentirem facilè tecum, ſi modò hanc expoſitionem admitteret compendium Hutteri, ſi non dubiam redderet ipſa Apologia, ſi ei non refragaretur commune principium erroneum Philoſophiæ Paganæ, cummuniter tamen in Orthodoxia noſtra receptum, ſi ei denique non repugnaret tota ferè analogia orthodoxiæ noſtræ. *O.* Declara rem diſtinctius. *C.* Hutterus in Compendio *loc. 12. qv. 15.* in textu latino, (nam verſio Germanica hic iterum diſcrepat,) fiduciam fidei exponit per *Tò* convinci in *conſcientiâ* de certitudine rerum. At *conſcientia* ſecundùm communem Doctrinam in Academiis noſtris receptam ad *intellectum* pertinet, non ad voluntatem. Porro omnis fiducia voluntatis, vel eſt amoris ſpecies quædam, vel certè, ut dixi,

ex amore oritur, neqvaqvam eum præcedit At fides in Apologia (c) dilectioni opponitur, atque hæc fidem ſeqvi dicitur: qvod nonniſi de fide intellectuali verum eſſe poteſt, ſi communem quidem doctrinam reſpicias, ſecundùm quam intellectus dicitur emendare voluntatem. Fluit hîcpeſtilens & omnibus Philoſophis paganis communis error de intellectu voluntatem emendante, ex eo, qvòd Dei eſſentiam in cogitatione ſpeculante, non in amore quæſiverunt, unde & hominis eſſentiam poſteà in cerebro ejus, non in corde quæſiverunt, & philoſophiam ſuam, qvæ docere debebat, ut conformes fierent homines Deo, in doctrina purificandi intellectus & inventione veritatum ac ſpeculatione ideali adeoque cerebrina eſſentiarum conſiſtere dixerunt, ac intellectui officium conſiliarii, voluntati vero munus Regis impoſuerunt, aliasque abſurdiores adhuc fabulas compoſuerunt, quæ ubique & in omnibus tribus religionibus Imperii, quantum ſcio, regnant, ac inde etiam cum multis aliis, falſa iſta concluſio, quod fides intellectualis producat dilectionem cordis, orta eſt. Cum tamen cuilibet homini eſſentiam humanam ſerio cogitanti, irrefragabiliter appareat, à voluntate ejusque affectibus, omnem profluere & corruptionem & emendationem intellectus, adeoque conceptum veri in intellectu nunqvam per ſe producere boni quid in voluntate. Sæpè miratus ſum ſtupiditatem noſtram. Qvotidiè ferè illud Poetæ nobis occinitur: *Video meliora proboq;*, (in intellectu,) *deteriora ſequor*, (in voluntate,) & tamen perſvadere nos volunt, cognitionem & aſſenſum veritatis emendare voluntatem. Porrò fidem ſalvificam in orthodoxia noſtra ultimo reſolvi in fidem intellectualem, vel inde patet. Diſſenſus Theologorum inter ſe rarisſimè ſunt de faciendis, ſeu rebus voluntatis, ſed de conceptibus in intellectu, quæ credenda appellant, & faciendis opponunt. Et ab opinione orthodoxias & heterodoxias voces ortæ ſunt. Eſt verò opinio non ens voluntatis, ſed intellectus. Iſtas tamen opiniones, iſtam fidem

(c) *Vide F. C. p. 74.*

fidem intellectualem, ejusqve confeſſionem pro damnante aut ſalvificante venditant. *Qui vult ſalvus eſſe*, inculcat Symbolum Athanaſii, *ante omnia opus eſt, ut teneat Catholicam fidem, quam niſi quis integram inviolatamque ſervaverit, absque dubio in æternum peribit.* Hic equidem verba: *tenere, ſervare* videntur eſſe verba voluntatis. Interim totum ſymbolum nihil planè de rebus voluntatis, tantum de myſteriis ad intellectum pertinentibus, qvæq; in cerebro ſunt, non in corde, diſponit: atque perſpicuè poſteà iſtud tenere & ſervare, per *ſentire, credere & confiteri* exponit in verbis: *Qui vult ergò ſalvus eſſe, ita de Trinitate ſentiat &c.* Adde qvòd fides ſalvifica & doctrina ſalvifica ſæpè à noſtris ſynonymicè uſurpentur. Doctrinà verò eſt ens intellect⁹, nec ulla doctrina ſalvum reddit. Non mutabat Judas doctrinam, manebat orthodoxus, & tamen damnabatur. Ita habebimus aliquod ſalvificum damnans, ſeu ferreum lignum. Pœnitentia inſuper & converſio, cùm & ipſa ſint opera voluntatis, ſtilo & praxi pariter, ut fides, factæ ſunt in orthodoxia noſtra entia intellectus, vel ſæpè ne hoc quidem, ſed nudi ſine mente ſoni. Tranſit qvis à Papatu, Judaiſmo, Muhamedaniſmo ad nos, Converſus dicitur. Mores autem nil qvicqvam mutat, ſaltem mutat formulam & confeſſionem oris. Sæpè nullum grammaticum intellectum habet, (expertus loqvor,) verborum, quæ memoriâ mandavit. Et tamen non erubeſcunt, pro concione ad populum gratias agere Deo, qvòd ad fidem ſalvificam hominem infidelem aut hæreticum perduxerit. Plura addere poſſem, niſi ad alia pergendum eſſet. Puto autem ex dictis patere, eos qui hæreſin crimen eſſe ſtatuunt, neſcire, quid ſit fides, qvæ tamen definitionem hæreſeos ſecundùm ipſos ingreditur, nec ex eorum ſcriptis aut ex communi doctrina & praxi genuinum conceptum fidei & ſacris literis convenientem erui poſſe.
O. Quò magis cogito ea, qvæ diſſeruiſti, eò magis confundor, operamqve dabo ſedulò, ut dubia illa ab aliquo erudito Theologo mihi eximantur.

IV.

C. Fac ut lubet. Tranſeamus nunc ad *pertinaciam*, quæ & ipſa in definitione hæreſeos à te fuit poſita. Dicitur illa pertinacia etiam malitia, nulli admonitioni ſuccumbens. (*a*) Sed hic iterum obſcurum valdè eſt, concipere, quid propriè per pertinaciam intellectum velint. Nota quidem eſt diſtinctio noſtrorum inter hæreticos formales & materiales, ſeu ſeductores & ſeductos, illos pro pertinacibus habendos & hæreticis propriè dictis, hos minimè. (b) Notum eſt, originem hujus diſtinctionis niti Jure Pontificio. (*c*) Sed notum etiam eſt, nonnullos ex Pontificiis eam diſtinctionem negare, atque aſſerere, omnes hæreticos, ſive deductos, ſive deductores eſſe pertinaces. (d) Fatentur ipſi Theologi noſtrates, difficile eſſe, judicare de pertinacia hæreticorum, nec ſemper certos nos eſſe poſſe, an error ab hæreticis defendatur ex pertinacia voluntaria, an ex imbecillitate humana, perſvaſione aliorum & veteri conſvetudine. (e) Facilè autem apparet, ſeductionem activam aut paſſivam parum facere ad pertinaciam. Poteſt enim doctor errans & ſeducens alios non eſſe pertinax. Poteſt auditor & ſeductus pertinaciâ laborare. Neque omnis pertinacia malitiam includit. Ut enim taceam, hîc non agi de pertinacia circa res voluntatis, ſeu repugnantia ſpontanea rerum agendarum, ſed de pertinacia circa objecta intellectus, poteſt illa pertinacia de rebus intellectus dupliciter exponi. Vel enim denotat ejusmodi nævum intellectus, quô quis nihil poteſt adverſus veritatem proferre, interim tamen ſententiam erroneam non mutat, ob præjudicium autoritatis & quòd huic innixus ejus intellectus non aſſentiatur veritati: vel denotat malitiam in voluntate, quâ quis convictus in intellectu de veritate

(a) *Ziegl. ad Lanc. p. 939.* (b) *Pomarius* in unrechten Gewiſſens-Zwang in der Vorrede *p. 6.* (c) *c. dixit Apoſt. 29. C. 24. qv. 3.* (d) *Boranovvsky ap. Pomar. d. l. & p. 499.* (e) *Wittenb. Theol. Fac.* in gründlichen Beweiß wieder der Rinteler Syncretiſtiſche Neuerung. *p. 60. 61., Pomarius d. l. p. 155.*

ritate rerum, non tamen vult illam convictionem confiteri, ſed contra conſcientiam falſa docet. Prior illa, ut ex iis, quæ modò ex Theologis noſtratibus adduxi, patet, huc non pertinet, atque adeò pertinacia eſt impropriè dicta. Poſterior raro dabilis eſt, cum naturæ humanæ ferè impoſſibile ſit, niſi fortè metu doloris, aliter loqui de rebus ad intellectum pertinentibus, ac ſentias. Illud jam notorium, inter mille hæreticos, etiam Doctores, maximam partem bonâ fide errare. Uti verò calumnia, quando Pontificii de noſtris Theologis dicunt, eos docere contra conſcientiam; ita defectui converſationis aut peregrinationum adſcribendum eſt, ſi noſtri nos perſvadere volunt, ac fortè ſibi ipſis perſvadent, Pontificios, item Reformatos Theologos aut alterius ſectæ Doctores regulariter eſſe pertinaces, & in conſcientia de falſitate doctrinæ ſuæ convictos. Ut taceam, quòd & modus legitimus convincendi hæreticos, quem pertinacia præſupponit, plerumque, ſi non planè exulet, ſaltem valdè incertus ſit. Convincere non eſt, actibus metum incutientibus aut autoritate judiciali alterum adigere, ut aliquid verum eſſe fateatur, ſed amicè, rationum ponderibus aut efficaciâ ac virtute ſpirituali, per diſcurſum aut interrogationes planas alteri errorem commonſtrare. Ita Chriſtus & Apoſtoli convincebant adverſarios. Sed Antichriſtus ſævit in diſſentientes, carceribus, morte, relegationibus, autoritate judiciali, pluralitate votorum, confiſcatione librorum. Et hoc convincere errantes appellat. Relegantur hæretici, aut, ne introeant auditorium, aut, ſi introeant, ne opponant & conferant, cavetur. Tum diſputatur contra abſentes aut loqui non audentes. Et hoc convincere dicitur. Utinam verò Papiſtica hæc convictio non regnaret, etiam inter Evangelicos. Tacerem lubenter, niſi lapides clamarent, & non loqueretur praxis publica & communis.

VII.

O. Non putâſſem, tot dubiis ſubjacere definitionem hæreſeos. Jam tamen eorum finis erit. *C.* Imo & de *errore* adhuc

adhuc quædam monenda reſtant. Scio quidem, quid error ſit, neſcio verò, quid ſit *error in myſteriis divinis fidei ſpeculativæ.* Error eſt aberratio à veritate. Veritas eſt convenientia intellectus cum re. Deus ens infinitum eſt. Infinitum eſt, cujus nulla eſt convenientia cum intellectu finito, (nec in totum nec in tantum, aut illa convenientia in tantum non producet ſcientiam ſed opinionem aut meros conceptus negativos.) Infinitum cognoſcitur nonniſi per ſimilia à finitis deſumta: imo nec per ſimilia propriè dicta, cùm ſui ſimile non habeat. Conceptus per ſimilia non eſt conceptus propriè dictus. Conceptus impropriè dictus non eſt conceptus verus. Unde non datur de ente infinito conceptus poſitivus verus. Neque adeò datur oſtenſio erroris in conceptu poſitivo de ente infinito. At pleræque diſceptationes cum hæreticis ſunt de conceptibus poſitivis entis infiniti. Addo: deeſt judex erroris. Neque enim homo hîc judex eſſe poteſt, ut fusè oſtenderunt noſtrates contrà Pontificios. Scio quidem, provocare noſtros ad ſcripturam, ſed mallem, ut & hanc doctrinam ſic exponerent, ut nos Laici eam intelligere posſimus. Eſt liber ſcripturæ in medio poſitus. Diſſentiunt inter ſe v. g. Doctores noſtræ ſectæ & Reformati, item Sociniani, Quakeri, Anabaptiſtæ &c. Utraque pars pro ſe adducit ſcripturam. Una ſic exponit, altera aliter. Utraque dicit ſuam expoſitionem eſſe ſenſum Spiritus S. Quis jam judex eſt? *O.* Alia ſcriptura, h. e. loca parallela, cum ſcriptura ſcripturam explicet, & adverſariorum explicatio contradicat analogiæ fidei. *C.* At idem hoc dicunt adverſarii de nobis, iidem parallelisſmum habent & analogiam fidei. Quis jam judex eſt? *O.* Sed ipſorum explicatio non rectè ſe habet, ſed noſtra. *C.* Ergo explicatio ſcripturæ judex eſt. At explicatio hominum eſt. Atque adeò vides, quantum & hîc Papizetur inter Evangelicos. Scriptura prætextus eſt, gloſſa ſcripturæ fit norma, fit judex ipſius ſcripturæ. Allegatio *analogiæ fidei* ſæpe eſt pallium ignorantiæ. Eſt contra officium boni diſputantis, negare Concluſionem. Provocatio ad analogiam fidei ſæpè eſt negatio Concluſionis, aliô nomine occultata. Profert

adverſarius argumentum, urget reſponſionem. Concedis majorem, aperta eſt minor. In promptu eſt reſponſio, pugnat concluſio adverſarii cum analogia fidei, h.e. ſi ejus concluſio eſſet vera, non apparet, quomodò eam connectere poſſet reſpondens cum alio quodam ſuo principio. Ergo de hoc principio differere incipit, atque de ſua analogia fidei, & ſic ex reſpondente fit opponens. Quod an regulis bonæ diſputationis aut ſeriæ inquiſitionis in veritatem conveniat, alii judicent. *O.* Inexpectata dicis, ſed talia tamen, quæ me, etſi non perſvadeant, inclinant tamen & dubium reddunt. Vereor autem, ne te communis doctrinæ defenſores hæreticum peſtilentem vocaturi ſint. *C.* Ad talia quidem convitia jam occallui per Dei gratiam, ipſisque contra fauſta ac ſalutaria quæque apprecor. In tui tamen gratiam prælegam locum Salviani pii Patris & hæreticorum amantis, non hæretificis. Ita verò ait; (a) *Barbaris traditio magiſtrorum ſuorum & doctrina inveterata, quaſi lex eſt, qui hoc ſciunt, quod docentur. Hæretici ergò ſunt, ſed non ſcientes. Denique apud nos ſunt hæretici; apud ſe non ſunt. Nam in tantum ſe Catholicos eſſe judicant, ut nos ipſos titulò hæreticæ appellationis infament. Quod ergò illi nobis ſunt & hoc nos illis. Nos eos injuriam divinæ generationi facere certi ſumus, quòd minorem Patre Filium dicant: Illi nos injurioſos Patri exiſtimant, quia æquales eſſe credamus. Veritas apud nos eſt; ſed illi apud ſe eſſe præſumunt. Honor DEI apud nos eſt; ſed illi hoc arbitrantur, honorem divinitatis eſſe, quod credunt. Inofficioſi ſunt, ſed illis hoc eſt ſummum religionis officium. Impii ſunt; ſed hoc putant verum eſſe pietatem. Errant ergo, ſed bonô animô errant, non odio, ſed affectu Dei, honorare ſe Dominum atque amare credentes. Quamvis non habeant rectam fidem; illi tamen hoc perfectam Dei æſtimant caritatem. Qualiter pro hoc ipſo falſæ opinionis errore in die judicii puniendi ſunt, nullus poteſt ſcire niſi judex. Interim idcirco eis, ut reor, patientiam Deus commodat, quia videt, eos, etſi non rectè credere, affectu tamen piæ opinionis erra-*

(a) *Salvianus de Gubern. Dei lib. 5. p. m. 162. ſeq. Conf. ſimilia loca Arnobii & Lactantii ap. Rittershuſ. in notis ad Salvianum p. 153.*

errare: maximè cum ſciat, eos ea facere, quæ neſciunt; noſtros autem negligere, quod credunt: ac per hoc illos magiſtrorum peccare vitiô, noſtros ſuô: illos ignorantes, noſtros ſcientes: illos id facere, quod putent rectum, noſtros, quod ſciant eſſe perverſum. Et ideò juſtô judiciò illos patientia DEI ſuſtinet, & nos animadverſione caſtigat: quia ignoſci aliquatenus ignorantia poteſt; contemptus veniam non meretur.
O. Mihi quidem videtur hic locus Salviani egregiè illuſtrare principa eorum, quæ modò de *pertinacia* & *judice erroris* diſſeruiſti. Poſtquam verò, ut videtur, abſolviſti ea, quæ contra definitionem hæreſeos moviſti, age jam & alterum caput inchoa illorum, quæ ſuprà aſſeruiſti, quod noſtri papizent in eo, quòd hæreſin pro crimine habeant.

VIII.

C. Poſſem equidem vel ſolô argumentô iſtô uti, quòd maximè tyrannicum eſſe videatur, ſævire in eos, tanquam maximi criminis reos, quos tamen de crimine convincere non posſis, & ideò quidem, quia nullum perſpicuum ac certum conceptum de crimine habeas. Et certè, ſi verum fateri velim, neſcio, quid ſolidi adversùs hoc argumentum proferre posſint communis doctrinæ patroni. Sed nolo tamen hîc ſubſiſtere, aliis potiùs & propioribus rationibus monſtrabo, hæreſin crimen non eſſe.
O. Aveo illas audire, præprimis cum ipſe dixeris, te nulla hic alia fundamenta admittere velle, quàm ſcripturam & rationem. Annon noſti, ipſam ſcripturam (*a*) hæreſes inter opera carnis referre, easque inter media crimina, adulterium, ſcortationem, idololatriam, veneficium, cædes, ebrietates &c. recenſere?
C. Benè mones. Propemodum enim obſervationis maximè neceſſariæ adverſus definitionem hæreſeos fuiſſem oblitus, ſine qua tamen in ipſa quæſtionis ventilatione vix quicquam ſolidi aut perſpicui expectari poterat. Ita eſt. Solent defenſores communis doctrinæ, uti ferè etiam ab omnibus errantibus fieri ſolet, ſubinde provocare ad dicta ſcripturæ. Etſi verò mox viſuri ſimus, nil quicquam prodeſſe diſſentientibus textus ſacrarum literarum,

(a) *Gal. IV, 19.*

etſi ſupponatur, in ſcriptura ſacra vocem hæreſeos in ea ſignificatione ſumi, quæ hodiè communis eſt, & quam definitione tuâ exprimere voluiſti; multum tamen conducet ad diſtinctiorem enucleationem quæſtionis, ſi probè diſcutiamus, *an voce hæreſeos eôdem modô utatur ſcriptura, quô accipitur in communi Orthodoxia.* O. Quis verò ea de re dubitet? cum omnes, quantum ſciam, in doctrina de hæreſi poſitiones ſuas ex ſcriptura deducant. C. Ego verò valdè dubito. Nec ratio tua de communi uſu me turbat. Deprehendi enim, *communem uſum ferè potiſſima Scripturæ S. vocabula ad uſum profanum Philoſophiæ Ethnicæ detorſiſſe.* Unicum ſaltem exemplum afferam. Noſti, communem uſum ad *virtutes intellectuales* referre *ſapientiam*, *intelligentiam*, *ſcientiam* &c. Et rideretur haud dubiè, ut ignarus primorum philoſophiæ rudimentorum, qui iſtas virtutes quæreret in voluntate, aut qui cum virtutibus moralibus eas indivulſo nexu conjunctas eſſe aſſereret. Interim aliâ occaſione evidenter tibi oſtendere potero, ſcripturam ſuam ſapientiam, ſuam intelligentiam, ſuam ſcientiam inter alia in eo ſeparare à ſcientia hujus mundi, quam & propterea vocat γνῶσιν ψευδόνυμον, (*b*) quòd iſtæ virtutes ſcripturæ cor afficiant & ex amore oriantur, ac ad amorem ducant, hæc autem γνῶσις, quæ in intellectu eſt, & ab ejus activitate proficiſcitur, inflet hominem, ut ſibi perſvadeat ſcientiam, quæ tamen falſa ſcientia, vel propterea non mereatur nomen ſcientiæ (*c*)? O. Ea de re videamus aliô tempore. Fortè, ut ad ſcopum redeamus, monere vis, in ſacris literis hæreſeos vocabulum aliquando in bona ſignificatione ſupponi. C. Ineptus eſſem, cùm ea obſervatio ſit communis, & nemo negare poſſit, ſæpiùs vocem hæreſeos in Scriptura referri inter vitia. Ergo quamvis etiam ſint, quæ de ſignificatu illo in differente addi poſſint, nollem tamen hic prolixior eſſe. O. Quid ergo eſt, quòd arbitraris, Eccleſiaſticum hæreſeos ſignificatum recedere à ſenſu ſcripturæ. C. Dicam; ſed tu potius ipſe mihi reſponde: annon hodiè communi uſu differentia eſt inter hæreſin & Schiſma?

O. Eſt

(b) *1. Tim. VI. 20.* (c) *I. Cor. VIII. v. 1. 2.*

O. Eſt, & jam ſuprà de ea differentia collocuti ſumus. *C.* At *Scriptura vocem ſchiſmatum & hæreſium ſynonymicè uſurpat.* Dum enim Apoſtolus Corinthios corrigit, quòd in conventibus ſanctis diſſidia ſint inter ipſos, illa diſſidia in græco modò ſchiſmata appellat, modò hæreſes. *(d)* Et Lutherus ibidem etiam in Germanico voces ferè coincidentes uſurpat, dum ſchiſmata reddidit. **Spaltungen** / hæreſes **Rotten**. Nam qui ſchiſmata faciunt, regulariter aſſeclas quærunt, qui cum ipſis, aut cum quibus ipſi faciant. Hinc & aptè Lutherus, dum alius Apoſtolus (*e*) etiam ſecundùm communem ac Veſtram expoſitionem, de hæreſibus loquitur, (etſi vocem ipſam non uſurpet, ſed hæreticos aliâ ſynonymicâ voce appellat τοὺς ἀποδιορίζοντες,) eâdem voce Germanicâ ſenſum illius exponit, **die da Rotten machen.** Eraſmus reddidit, *qui ſegregant.* Igitur in ſcriptura ſenſu ſynonymico uſurpantur, ſchiſmatici, hæretici, & qui ſegregant. *O.* Quidſi verò iſta concedam, non tamen video, quomodo abeat ſcriptura à ſignificatione Eccleſiaſtica hæreſeos, cùm & ſecundùm communem ſententiam hæretici plerumque ſchiſmata faciant, turbas conciten, & ſe ab aliis ſegregent. Non video, quid illa obſervatio conducere poſſit ad evellendam meam aſſertionem, quâ dixi, hæreſin etiam uſu ſcripturæ inter crimina recenſeri? *C.* Acquieſce paululum. Conveniendum prius fuit in iſtis hæreſeos ſynonymis, ut eò clarius jam posſit oſtendi, ſcripturam non loqui de hæreſi, quam Vos definitis. Scilicet Hæreſis, quam crimen eſſe dicitis, eſt error in intellectu. At ſcriptura, cùm de hæreſi loquitur, nunquam loquitur de errore in intellectu, ſed ſemper de vitiis voluntatis. Et ita jam ipſum à te prolatum Apoſtoli locum adverſus te retorqueo. Omnia illa *carnis opera*, à quibus dehortatur Galatas, ſunt vitia voluntatis, partim quidem crimina, partim nævi, famam apud viros bonos lædentes. Inter hæc mediæ etiam nominantur hæreſes. Abſurdum verò foret, inter media crimina recenſere errorem intellectus, ſi vel maximè urgeretur, ad opera carnis etiam pertinere errores, quod tamen

&ipſum

(d) *I. Cor. XI, 18. 19.* (e) *Jud. I. 19.*

& ipſum vix concedi poteſt. Porro in loco adducto, ubi Paulus Corinthios corrigit, quòd *ſchiſmata* inter eos ſint & *hæreſes in conventibus ſanctis*, integer contextus oſtendit, nullum ipſi eſſe ſermonem de diſſenſione aliqua circa controverſias fidei, ut hodiè vocantur, ſed iſta ſchiſmata & hæreſes, eſſe mores pravos & ſegregationem facientes in uſurpatione cœnæ. Maximè verò Judas perſpicuè exponit, quinam ſint iſti ἀποδιορίζοντες, *qui ſegregant*, nempe πορευόμενοι τὰς ἑαυτῶν ἐπιθυμίας τῶν ἀσεβειῶν;(g) Die nach ihren eignen Lüſten des gottloſen loſen Weſens wandeln / reddidit Lutherus. Atque cum præter iſta loca in novo Teſtamento, quantum recordor, hæreſeos vox non occurrat, clarum erit, ſcripturam hæreſin pro errore intellectus non ſumere, atque ſic ſecundùm definitionem hæreſeos à te traditam, hæreſin ſcripturæ, & hæreſin Eccleſiæ, propriiſſimè loquendo, differre totò genere. *O.* Aperta ſunt quidem, quæ dicis, ſed poterit tamen fortè in contrarium afferri, non tàm videndum eſſe, quomodo uſurpetur vox hæreſeos, (abſtracti,) quàm quomodò ſumatur vocabulum hæretici,(concreti) cùm non infrequens ſit, derivata ſæpiùs mutare ſignificationem ejus vocis unde derivatio fiebat. *C.* Nec hoc recuſo, cùm iſte locus ex Judæ Epiſtola adductus loquatur de hæretico in concreto. *O.* Non tamen ita verbis conceptis ac Paulus, dum Titum (*h*)monet de devitandis hæreticis, qui locus frequenter etiam à noſtris in doctrina de crimine hæreſeos adhiberi ſolet. *C.* Benè. Eſt & hic evidenter pro me. Iſtum enim hæreticum deſcribit Paulus, quod ſit everſus & peccet, καὶ ἁμαρτάνει. At peccatum, ἁμαρτία, non eſt error intellectus, ſed actus voluntatis. *O.* Addenda tamen ſunt ibi etiam præcedentia. Præceſſerat autem de quæſtionibus legalibus, & pugnis ac contentionibus de genealogiis, quod oſtendit, Paulum loqui de errante in controverſiis fidei intellectualibus. *C.* Iſta verò oſtenſio nil infert. Præterquam enim, quod dubium ſit, an iſtud monitum de fugien-

---

(g) *Jud. I. 19.* (h) *Tit. 3. verſ. 10.*

giendo hæretico continuet monitum præcedens de omittendis ſtultis quæſtionibus, an verò ibi novum caput inchoetur; quomodo Apoſtolus, quas tu controverſias fidei dicis, poſſet appellare quæſtiones ſtultas, inutiles ac ſupervacaneas? uti appellat. Cur non apertè nominaret errantem, ſed taxaret moventem & rixantem? uti taxat. Vereor ergo, ut, ſi Apoſtolus etiam in præcedenti verſiculo loquatur de hæretico, orthodoxia tua multum lucratura ſit. *O.* Cur vero? *C.* Quia tum hæreticus foret, non, qui errat in quæſtionibus & controverſiis, & pacificè errat, ſed qui controverſias movet, qui de iis contendit, pugnat, rixatur, diſſentientes damnat, ac quæſtiones plerumque inutiles, & ſupervacaneas, aliquando & ſtultas, ac impias venditat pro controverſiis ad fidem ſalvificam pertinentibus. *O.* Sentio, quorſum tendas. At hôc pacto magna fieret confuſio nominum. Ita enim hæreticus foret, quem nos orthodoxum dicimus, ita qui hæreticos facit, eſſet hæreticus. *C.* Quid id ad me? Non major hæc confuſio foret, quàm ea, quam ſuprà tetigi, quâ fidem cordis feciſtis ens intellectus. Et ergo hic orthodoxia communis in culpa foret confuſionis illius, non ſcriptura. Ut taceam, non implicare, eſſe aliquem ſimul hæreticum & hæretificem. Uti enim genuini Chriſtiani indiſſolubilis character eſt amor & tolerantia diſſentientium, ita omnis hæreticus eſt in meo ſyſtemate Hæretifex, ac odio diſſentientium repletus, uti & in meo ſyſtemate non hæreſis, quam vos dicitis, ſed hæretificium eſt crimen. Appoſitè ad rem præſentem Lutherus, dum hæreticos, contra quos Judas ſcribit, τȣ̃ς ἀποδιορίζοντες, vocat: **Die da Rotten machen**/ quod idem eſt, acſi dixiſſet: **Die Ketzermachen**. Sed de his fortè aliàs. Nunc abſque digreſſione ulteriore ad id pergo, ut oſtendam, hæreſin non eſſe crimen.

IX.

O. Id verò jam diu expecto. Ergo profer argumentum hujus ſententiæ, quod divinare non poſſum. *C.* Non equidem opus eſt divinatione, ſed miranda potius occæcatio noſtra, quòd ob autoritatis præjudicium rem nobis perſvaſerimus, quæ

primis juris & Philoſophiæ moralis principiis repugnat. Duobus verbis dicam: Hæreſis non eſt crimen, quia error eſt. Rides verò. Imo ridere mox deſines. Reſponde modò, ſi placet: Quid eſt crimen? O. Eſt factum turpe contrà leges pœnales. C. An crimen poteſt eſſe ſine dolo? O. Regulariter quidem dolus requiritur, aliquando tamen culpa ſufficit. Habemus enim & homicidium culpoſum. C. Fortè iſta exceptio omitti poſſet, cum in omni delicto culpoſo videatur adeſſe dolus aliquis, aut præceſſiſſe ſaltem: Sed & hoc admittam. Ergò tamen dolus vel ad minimum culpa requiretur? O. Omninò. C. Ergo tu, qui argumentum meum modò irridebas, reſponde jam ad iſtas quæſtiones. Cum error ſit nævus intellectus, & hæreſis ſit error intellectus, annon factum turpe (i.e. genus criminis) eſt prædicatum actus voluntarii? An lex ferri poteſt intellectui? An dolus eſt qualitas intellectus, an voluntatis? Annon error & dolus perpetuò opponuntur? Annon culpa negligentia eſt? Annon negligentia voluntatis nævus eſt? Vides, quod quæſtiones hic prolatæ ſunt, totidem reſponſiones tu ipſe ſuppeditabis, evincentes, errorem non poſſe inter crimina referri. O. Obruis me quæſtionibus, & à quibusdam audivi, periculoſum eſſe quæſtionibus diſputare. Quoniam tamen ita placet, priùs tu mihi reſponde. Annon dixiſti ſuprà contrà communem ſententiam: intellectum corrumpi & emendari à voluntate? C. Eſt, ut dicis, periculoſum quæſtionibus diſputare, ſed errantibus & Sophiſtis. Veritatem amantes libenter reſpondent. Quarè & ego reſpondebo ſincerè ad quæſtionem tuam. Aſſerui iſtud, & nunc aſſero, præprimis, cum aſſertio mea præter alios textus ſcripturæ egregiè confirmetur per dictum Apoſtoli, quô Corinthios admonet, *Gentium intellectum obtenebratum eſſe per excæcationem cordis eorum.* (a) Sed quid tum poſteà. O. Mox apparebit. Tu modò reſponde ulteriùs. Annon ergò & error hæreſeos oritur ex corruptione voluntatis? Reſponde, quid titubas? Jam te captum habebo. C. Equidem non hæſito, quod diffidam ſententiæ meæ ejusque veritati, ſed quod quæſtio hæc tua contineat fallaciam

(a) *Ephef. IV, 18.*

ciam plurium interrogationum. O. Quomodo verò, cum ſit quæſtio ſimplex, loquens de uno ſubjecto, & uno prædicato. Inanis eſt ergò iſta tua imputatio. Reſponde. C. Inanem non eſſe mox apparebit. Et quid ſi ad quæſtionem etiam reſponderem affirmando, quid tum poſteà? O. Reſponde modò categoricè, mox apparebit. C. At verò quamdiu ſubeſt fallacia plurium interrogationum, categoricè reſpondere nequeo. Interim tu reſponſionem meam, ut categoricam accipere poteris. Quid tum poſteà? O. Jam oſtendam, quid tum poſteà. Teneo enim te conſtrictum, ut evadere non poſſis. Si error omnis adeoque & error hæreſeos oritur ex corruptione voluntatis, & crimina ſunt opera corruptæ voluntatis, erit etiam hæreſis tale opus, erit adeò & crimen, id quod erat demonſtrandum. C. O miſeram verò iſtam conſtrictionem, cum tot mihi ſint loca evadendi laqueos tuos. Tot enim fallacias commiſiſti, quot ferè protuliſti verba. O. Quî hoc eſſe poſſit, cum omnia, quæ protuli, plana ſint & aperta? C. Videbis ſtatim. Initiò, cùm dixi, quæſtionem tuam continere fallaciam plurium interrogationum, id volui: Quæſiviſti: annon error hæreſeos oriatur ex corruptione voluntatis? Quemadmodum ergò in communi exemplo fallaciæ plurium interrogationum, dum quæritur: an Titius cornua amiſerit? an deſierit furari? ſupponitur, Titium cornua habuiſſe, ac furatum eſſe, etſi & ipſæ illæ quæſtiones continere videantur unum ſubjectum & unum prædicatum; ſic in tua quæſtione ſupponitur: Hæreſin eſſe errorem, aut conſtare, quòd hæreſis ſit error. At ſuperiùs oſtendi, non ſolùm, quòd vera hæreſis, de qua loquitur ſcriptura, non ſit error, ſed etiam, quòd de errore in hæreſeos ſignificatu Eccleſiaſtico non conſtet evidenter, cum deſit ubique judex, qui evidenter & cum vera convictione adverſariorum errorem monſtrare poſſit. Deinde nota eſt fallacia non infrequens tui ſimilibus, quâ, poſtquam aſſertiones quasdam adverſariorum per quæſtiones vel aliô modô elicuerunt, conſequentiis ſuis & conſequentiarum conſequentiis, plerumque tamen Sophiſticis, vel adverſariis ſuis alienam mentem affingant, vel intempeſtivè & ante victoriam triumphum

 canant.

canant. Non ita Chriſtus & Apoſtoli convincebant adverſarios, ſed pergebant quæſtionibus tamdiu, donec adverſarii obmuteſcerent. Cur non perrexiſti quærendo? Vidiſſes illam concluſionem ex meis reſponſionibus nunquam fuiſſe ſecuturam. *O.* Cur non? Tentabo. Conceſſiſti: errorem hæreſeos oriri ex corruptione voluntatis: An negas crimina eſſe opera corruptæ voluntatis? *C.* Quis hoc negaret? *O.* Quid ergo: annon & hæreſis eſt opus corruptæ voluntatis? *C.* Eſt & non eſt. *O.* Quid hoc vult dicere? *C.* Si tu alium impellas, ut cadat, ipſe autem in caſu frangat aliquid, iſta fractio eſtne tuum opus, an cadentis? *O.* Meum mediatè, cadentis immediatè, meum primariò, cadentis ſecundariò, meum moraliter, alterius phyſicè. *C.* Ita & hæreſis illa communis eſt opus voluntatis mediatum, cujus cauſa primaria & moralis eſt voluntas; immediatè verò, ſecundariò & phyſicè eſt operatio intellectus. Jam perge. *O.* Diſtinctio tua te non liberabit, eſt enim potiùs contrà te. Ideò enim multò magis punitur hæreſis, ut crimen, ſi ſecundùm te voluntas ejus eſt cauſa primaria & moralis. *C.* At verò illud *multò magis* parum aptè infert. *O.* Sophiſtam agis: conceſſiſti, hæreſin eſſe opus voluntatis, & ad opera voluntatis pertinere crimina: An ergo tamen negas hæreſin eſſe crimen? *C.* Nego utique, quia non omnia opera voluntatis ſunt crimina. Et ergo fallacia tua in eo conſiſtit, quòd, dum convincere me volebas, confuderis duas diſtinctas propoſitiones, unam, crimina eſſe opera voluntatis, quæ vera eſt, cum altera, opera voluntatis eſſe crimina, quæ evidenter falſa eſt, etiamſi de vitioſis operationibus voluntatis agas. Eſt enim utique differentia inter vitium & crimen. Crimen pœnam involvit. Multa verò vitia etiam ipſius voluntatis ſunt, quæ pœnæ humanæ (de hac enim loquimur) ſunt exempta. Ipſe noſti. Hinc cogitationis pœnam nemo patitur, & nævi toti humano generi communes, ac inemendabiles, ut invidia, ambitio, cupiditas pecuniæ, luxuria, etiamſi in actus externos non grave damnum dantes Reip. erumpant, puniri nequeunt. Quodſi cogitationis de crimine pœnam nemo patitur, multò minus patietur de errore cogitationis pœnam. *O.* At ego

ego inverto & quia in criminibus exceptis & enormibus etiam cogitationis pœnam quis pati poteſt, ut puta, in crimine læſæ majeſtatis, ideò etiam in hæreſi, quæ majeſtatem divinam lædit, & adeò enormius crimen eſt, ac crimen læſæ majeſtatis humanæ, cogitationis erroneæ pœnam, quis juſtè pati poterit. *C.* Malè & à diverſis infertur. Monſtrarunt jam JCti ſubinde, diviſionem illam criminis læſæ majeſtatis in læſæ majeſtatis divinæ & humanæ crimen, eſſe diſtinctionem æquivoci, & iſtud divinæ majeſtatis crimen eſſe crimen impropriè dictum. Scilicet crimen, quid vocatur, intuitu legum & pœnarum humanarum. At DEUS Regibus ſeculi non commiſit, ut ſint vindices majeſtatis ejus, quæ uti ſpiritualiter læditur, ita ſpiritualiter lædens punitur. Pœnæ verò ſpirituales à magiſtratu non infliguntur. *O.* An igitur ſeriò putas, hæreſin non eſſe crimen? *C.* Quidni putarem, cum tot cauſæ ſint, talia ſeriò putandi? Nec hæc ſententia adeò nova eſt, ut alii eam non animadverterint, etſi obſervationes illas non ſatis cautè à præjudicio communis erroris purgaverint. Sit unus hic inſtar omnium ex Theologis Lutheranis Samuel Pomarius, qui adverſus larvatum Papiſtam, Hierotheum Boranowsky, aſſerentem, hæreſin eſſe crimen enormiſſimum, eſſe furti, homicidii, ſacrilegii, ſcortationis, adulterii ſpeciem, eſſe crimen pejus falſatione monetæ, eſſe blaſphemiam, ſeditionem, crimen læſæ majeſtatis, pejorem Apoſtaſia, Idololatria &c. (*b*) latius defendit, (*c*) hanc doctrinam, hæreſin eſſe crimen propriè dictum, eſſe contrà lumen Scripturæ, & naturæ, contrà Theologos pariter & JCtos, ubi & ſimul cautè ſe defendit adverſus calumniatores, ſi qui eum accuſaturi eſſent, quaſi hæreſin amet, ac defendat: quam defenſionem & meam facio.

X.

O. Iſti quidem & ſimiles autores parum ſententiæ tuæ patrocinabuntur: cum ſtatuant hæreſin puniri poſſe etiam pœnis

---

(b) *Hier. Boran.* in gerechtfertigten Gewiſſens-Zwang. *c. 2. p. 156. ſeq.* (c) *Pomarius* in ungerecht Gewiſſens Zwang. *ad d. c. 2. p. 177. ſeqq.*

humanis, etſi non debeat puniri capitaliter. Tu verò, ut audio, dum crimen eſſe negas, hæreſin ab omni pœna humana vis eximere. *C.* Volo, nec patrocinium quæro in iſtis autoribus, ſed ipſos adducendo ſaltem oſtendere volui, non novum eſſe, ſi quis dicat, hæreſin non eſſe crimen, hinc ſtatim monui, quod iidem autores non cautè procedant, ſed falſa miſceant, quale illud eſt, quod pœnis quibusdam humanis coërcendos eſſe hæreticos velint, puta *privatione honoris, mulctâ pecuniariâ, exilio, carceribus*, quæ ſententia proh dolor communis noſtratium eſt. (*a*) Quid enim iniquius & minus conſtans doceri poterat, quam dicere, hæreſin non eſſe crimen, & tamen pœnis humanis coërceri debere, quid magis contradictionem involvit, quàm latè ac fusè contrà Pontificios multis argumentis docere: ad religionem neminem debere cogi, conſcientias debere eſſe liberas, fidem & converſionem hæreticorum eſſe donum DEI? coactionem omnem conſcientiarum nil boni afferre, ſed hypocritas facere & occaſionem ſemper dediſſe ad turbationem pacis publicæ &c. (quod regulariter noſtrates, potisſimum vero Pomarius, faciunt,) & tamen poſteà inde non plus inferre, quàm: hæreticos ſaltem non eſſe occidendos, reliquis verò pœnis ſubjici poſſe. Valent omninò rationes iſtæ adverſus omnem pœnam, quia omnis pœna eſt coactionis ſpecies. *O.* Sed, ni fallor, tamen negat hoc Pomarius. En ejus verba: (*b*) Jenes/ (die Verbannung und Verweiſung der Ketzer) ſind keine Zwangs-Mittel zum Glauben/ davor ſich auch Carpzovius nicht ausgiebet/ſondern vielmehr wider der Religions- und Gewiſſens Zwang höchſt eyfert/ ſondern eine nöthige Chriſten-Hut/ Kirchen Zucht/ und Obrigkeitliches Amt. *C.* Video ſanè & doleo, quaſi ſcilicet, quod aſſerit Zelotes adverſus Papiſtas, infallibile ſit, & quaſi non detur Zelus absque diſcretione: Eyſſer mit Unverſtand. Negare relegationem &c. eſſe coactionem, eſt negare, eam eſſe pœnam. Nec impudentius poterant Pontificii aſſerere, occi-

(a) *Carpz. Pr. Crim. q. 44. n. 30. 31. Tarnovius in Conſil. Dedek. Part. 2. fol. 93 Pomarius d. l. p. 185. 311. 326. & Part. 2. p. 417. ſeqq.*
(b) *Part. 2. p. 418.*

occiſionem hæreticorum non eſſe remedium coactivum. Ipſe Pomarius alibi apertè talia vocat: **äuſſerliche ſcharffe Zwangs-Mittel** / (†) à ſeipſo adeò refutatus. *O.* Sed noſtri non volunt iſtis pœnis mitioribus hæreticos ad *fidem* cogi, ſed ſaltem *ad media fidei.* (c) *C.* Neſciunt ipſi, quid velint: modò enim nec hanc mediorum coactionem volunt ad hæreticos applicari, ſed ſaltem ad ſuæ religionis homines. *(d)* Quicquid autem velint, & hoc pure papiſticum eſt, *(e)* & maxima commiſeratione dignum. Quis unquam concipere vel in ſomniis ſibi poterit coactionem ad media ſine coactione ad finem? Ipſi ſanè dicunt, media eſſe propter finem, eadem ſubordinari fini. Ergo & coactio ad media erit coactio ad finem. Quid dicerent, ſi Pontificii ſe excuſarent, ſe per metum mortis hæreticos non cogere ad religionis mutationem, aut ad fidem, ſed ſaltem ad media, auditionem miſſæ &c.? An crudelis illa coactio Reformatorum Gallica non eodem pallio inquiſitoriæ pravitatis uſa eſt, vel uti potuiſſet? *O.* Saltem tamen admittes *excommunicationem hæreticorum*, tanquam pœnam ſpiritualem. *C.* Neque hanc. *O.* Sed hujus cauſam non video: Ipſe concedis, hæreſin eſſe vitium ſaltem ſpirituale. Ergo & pœnam ſpiritualem non impugnabis. *C.* Arma ſpiritualia Chriſtianis commendata memini, pœnam ſpiritualem nuſquam, ſed hanc Deum ſibi reſervaſſe arbitror. Præterea excommunicatio quomodo pœna ſpiritualis eſſe poſſit, cum tota, quanta quanta eſt, pœnam temporalem inferat, privationem honoris, infamiam, metum continuum mortis ex furore plebis à Clero irritatæ continuis imprecationibus & maledictionibus publicis, &c. Licet utiq; cœtui Chriſtiano, uti omni cœtui, ei, qui moribus cœtus ſuos mores accommodare non vult, interdicere cœtui. At hoc pœna non eſt, cum par in parem id poſſit, nec infamiam infert. Verùm excommunicatio, quæ vulgò dicitur Eccleſiaſtica, ſi non tota, certè ad deuncem videtur eſſe Papiſtica & Anti-Chriſtiana. *O.* Cave, ne blaſphemes. Quomodo enim id poſſet eſſe Anti-Chriſticum,

quod

(†) *Part.I.p.519.* (c) *Pomarius P.I.p.264. & P.II.p.443.* (d) *Pom.*
(e) *vid.d.p.443.Boran.cap.10.p.495.Pomar.Part.I.p,269.*

quod Chriſtus ipſe, ſi non juſſit, ſaltem in luſſit? Et quomodo id foret Papiſticum, quo Paulus uſus eſt? *C.* Tu verò, ô bone, dic quæſo, ubi Chriſtus iſtam excommunicationem Eccleſiæ ſuæ indulſerit? *O.* An ignoras, quod omnes ſciunt, quod Salvator dicat (*f*), fratrem, qui offenderit fratrem, ſi non audiverit Eccleſiam, *habendum eſſe velut Ethnicum & Publicanum*? *C.* Hoc quidem optimè ſcio. Sed quid inde? *O.* Scilicet habendum eſſe pro excommunicato aut excommunicandum eſſe. *C.* Quid audio? An eo tempore, quo hæc loquebatur Salvator, erat cœtus Chriſtianorum? an Chriſtiani excommunicabant Ethnicos? An Salvator approbavit cœcam & cognitione Dei deſtitutam excommunicationem Judaicam? *O.* Moves dubia, quæ me hæſitantem reddunt. Interim tamen illa eſt communis explicatio. *C.* Sed ab initio & jam paſſim monui, dari etiam communes errores. *O.* Quomodo ergo tu intelligis iſtud dictum Chriſti? Quid eſt tibi habere fratrem ejusmodi pro Ethnico & publicano? *C.* Arbitror, id velle Chriſtum, ejusmodi hominem absque metu ſcandali, & violatione Chriſtianæ patientiæ, ſi negotium grave ſit, poſſe ut Ethnicum & Publicanum conveniri coram Magiſtratu Ethnico. Neque expoſitio illa dura aut longius quæſita videbitur, ſi huic doctrinæ Chriſti jungas monita Pauli, quibus Corinthios docet, de non conveniendo fratre coram judicibus Ethnicis. (*g*) *O.* Id tamen negare non poteris, Paulum voluiſſe excommunicari inceſtuoſum. (*h*) Increpat enim Corinthios, quod eum non tulerint de medio ipſorum. *C.* Nil amplius hic video, quam ut Paulus voluerit, ei indicari, ne cœtus ſanctos frequentet, quæ indicatio, ſi intra terminos juris maneat, quod cuicunque cœtui commune eſt, excommunicatio haud erit, nec pœna. *O.* Imò verò, quid amplius ſubeſt, cum & Paulus ipſum tradat Satanæ, quæ formula adhuc dum adhiberi ſolet in excommunicationibus Eccleſiaſticis. *C.* O miſeram vero traditionem, quæ fit per formulam. Putasne Paulum, vel nomine ejus alium, in cœtu publico horrendum iſtud & maledicum excommunicationis carmen pronunciaſſe, quo excommunicati anima & cor-

(f) *Matth. 18. v. 17.* (g) *1. Cor. VI. 1. ſeq.* (h) *1. Cor. V. 2. ſeq.*

& corpus traduntur Satanæ? Abſit hoc à pietate & charitate Apoſtoli. Ipſe textus repugnat, qui de corruptione carnis loquitur & ſalute ſpiritus. Puto Paulum, virtute Chriſti, abſentem quamvis, effeciſſe, ut corpus inceſtuoſi morbo quodam graviori à Satana fuerit infectum: Ita ſimili modo Jobi corpus tradebatur Satanæ. Hanc traditionem & ipſe Clerus excommunicator, ſive Papæus, ſive Papizans imitetur, ſi virtute illa Chriſti polleat. Quodſi non polleat, non miretur, ſi Laici incipiant dira ejusmodi carmina & fulmina bruta contemnere. *O.* Sunt tamen adhuc & alia loca ſacrarum literarum, quæ videntur excommunicationi Eccleſiaſticæ favere. *C.* Sunt utique & mihi noti, (*i*) cum ferè ſoleant hâc parte unus alterum fideliter exſcribere. Sed ea tanti non ſunt, ut tempus iis teramus, quia magis adhuc contorquentur, quam dicta illa, de quibus hactenus, & quia ex illis, quæ modò protuli, facilè ad eadem reſponderi poteſt.

XI.

O. Succurrit alia reſponſio, quâ ſententia communi ſalvari poteſt. Hæretici non puniuntur propter nævum intellectus & errorem, nec poteſt magiſtratus pœnis propoſitis adigere ſubditos, ut aliter credant, poteſt tamen prohibere, ne ſententiam diverſam in vulgus proferant, & Eccleſiæ ſcandalum præbeant, additâ etiam pœnâ, ſi quid adverſum commiſerint, quod etiam conveniens eſt non ſolum Juri Canonico, ſed & civili. (*a*) Et poteſt quidem hoc facere Princeps, quia actus hic, quem prohibet, eſt voluntatis opus & ab arbitrio humano pendet, atque ideò imperio humano ſubjacet. Nititur itaque hæc ſententiæ & legibus, & ratione, & autoritate, quia iisdem prope verbis eam ſic tradidit Zieglerus. (b) *C.* Valdè doleo, JCto & pio, & inter paucos ſolidè erudito, iſta excidiſſe, quæ tamen haud dubiè ex communi, noſtratium etiam, doctrinâ hauſit, & aliis rebus intentus eorum ſufficientiam non agnovit. Jus Civile & Canonicum,

(i) *Gal.V.12. 1.Tim.I, 20. Rom.XVI, 17. 2.Job.X. 11. vid.Pômar. d.l. P.I. p.420. ex Gerbardo.* (a) *c. reſecanda. 16. C.24. qv.3. l. 1. C. de SS. Eccleſ.* (b) *ad Lancellot. lib.4.tit.4.§.2.p.941.*

quod attinet; ab initio ea deprecatus ſum, nec effugium iſtud in allegatis textibus legis civilis & canonis deprehenditur, atque aliàs certum eſt, ſecundum utrumque Jus hæreſin directò haberi pro crimine. Igitur ſola ratio reſtat, prima quidem fronte ſpeciem habens, ut & diu eadem me in iſtam opinionem traxerit. Re tamen accuratius penſitatâ ſenſi, illam ſolidi quid non continere, ſed ſub hoc effugio palliari ſaltem tyrannidem in conſcientias. Rationes meæ ſunt iſtæ. Initio jam obſervatum fuit in præcedentibus, requiri quidem ad crimen, ut ſit actus voluntatis, non tamen vice verſa actuum omnium voluntatis eandem eſſe conditionem, ut eorum prohibitio crimen faciat, aut ut iidem vel eorum arbitrium legiſlatoriæ poteſtati ſubſit. Taceo, quod jam communiter obſervatum eſt, virtutes quasdam, ut manſvetudinem, liberalitatem, gratitudinem, & ſimiles, quæ amori propiores ſunt, quam juri ſtricto, eâ eſſentiâ gaudere, ut, ſi legis humanæ diſpoſitio & coactio pœnalis accedat, omne ſuum luſtrum ac omnem gratiam amittant, ſcil. ut actus illi lege expreſſi non ſint amplius manſveti, liberales, grati &c. Et jam Seneca ſuo tempore in libris de beneficiis fusè probavit, non dari poſſe actionem ingrati. *O.* Audio, quorſum tendas. Verum docere ac propalare errorem nihil commune habet cum exemplis à te adductis, igitur ad regulam de actionibus humanis legi ſubjectis pertinere videtur, atque inſtantia illa ad rem parum facere. *C.* Nondum diſcurſum abſolveram, ſed ſaltem exemplo aliquo oſtendere volebam, ab actu voluntatis non ſtatim inferendam eſſe habilitatem ejus, ut juſte prohiberi ab homine poſſit. Sunt enim & adhuc alii actus voluntatis, qui legi non ſubjacent, præprimis tales, qui quidem primâ fronte libero arbitrio hominis ſubeſſe videantur, attamen ſi penitius inſpexeris, magis neceſſariæ ſunt & libero arbitrio hominis exemptæ atque tales, ut actus contrarius habeatur pro moraliter impoſſibili, quorſum refero, propalare religionem, quam quis perſvadet ſibi eſſe veram, hoc eſt, diſſerere de religione ſuâ. Quodſi enim naturam hominis intimius ſcrutemur, deprehendemus, posſibile quidem eſſe homini cuivis, ut de veritate aliqua cognita,

præ-

præprimis, quæ ipſius ſilentio eſt commiſſa, poſſit certô tempore, aut locô tacere. Ut verò perpetuò taceat, præprimis, ſi perſvadeat ſibi eſſe talem veritatem, qui humano generi ſalutaris ſit, & adeò divinitùs præcepta, ut aliis dicatur, id quidem impoſſibile eſt. Et magis impoſſibile eſt, tacere talem veritatem iis, qui de ea inquirunt, bonam fidem inquiſitionis ſuæ præ ſe ferentes. Adhuc magis impoſſibile eſt, ad inquirentem in talia diſſerere contra animi ſui ſententiam, & eam ſententiam pro ſua venditare, quam tamen quis intra ſe habeat pro falſa. *O.* Intelligo, quid velis. Mihi tamen ex fundamentis primis philoſophiæ moralis magnum dubium adverſus hanc doctrinam tuam oritur. Eſſet enim haud dubiè illa impoſſibilitas non phyſica, cum concedas, veritatem certô tempore aut locô taceri vel diſſimulari poſſe, ſed moralis. At jam B. Puffendorffius (c) docuit, moralem impoſſibilitatem non obſtare, quò minùs actus aliquis legi ſubjaceat, ſi modo non adſit impoſſibilitas phyſica; idque declarat eleganti exemplô. Ita impoſſibile eſt, omnes homines velle conſpirare, ut gratis aliquod mendacium poſteritati tradant, non tamen impoſſibile eſt, ut unus homo id non faciat. Ita impoſſibile eſt, ut una reſpubl. tàm beata ſit futura, ut omnes homines à mendacio abſtineant, non tamen impoſſibile eſt, ut ſinguli abſtineant. Ergo poteſt mendacium legibus coërceri, & mendaces puniri queunt. Ergo etiam etſi moraliter impoſſibile ſit, ut omnes homines id, quod pro veritate habent, taceant, non tamen impoſſibile eſt ſingulis. Ergo ſingulis poteſt interdici propalatio & injungi ſilentium. *C.* Malè infers. Dixi enim, & ſingulis eſſe id impoſſibile, ut ſemper taceant, ergo debebas inferre, injuſtum eſſe, ſi perpetuum ſilentium ipſis imponatur. Hîc enim & moralis impoſſibilitas, & phyſia concurrit, quia eam jam ex natura communi humani generis deduxi. Quin potius inverto ea, quæ à te prolata ſunt. Non poteſt lex ferri, ut ubique & ſemper veritas dicatur etiam à ſingulis, multò minùs ergò poteſt à lege injungi, ut verum occultetur. Notârunt jam plures, & ſupra jam memoravi, nævos toti generi humano commu-

(c) *De J. N. & G, l. 1, c. 5, §. 8.*

nes, non graviter lædentes Remp. non ſubeſſe legibus pœnalibus. Unde avaritia, ambitio, invidia, etiamſi in actus quosdam leviores erumpant, fruſtrà & cum pernicie humani generis ſeveris coërcerentur legibus. Ita & nullibi mendacia minora ac reip. non noxia puniuntur. Quodſi ergo ob hanc cauſam ipſa vitia non puniuntur, quomodo legibus coerceri poſſet veracitas, ſeu ea ſermone profiteri, quæ quis pro veris habeat, cum hæc virtutibus potius, quàm vitiis adnumerari mereatur? *O.* At oblitus es limitationis propriæ. Talia enim non puniri poſſunt, quia per ea Reſpublica & ejus quies non inſigniter læduntur. At propalatione erroris & falſæ religionis gravisſimè læditur Reſpublica, quia per eam privantur ſalute æterna cives. *C.* Iſta communis objectio ſupponit curam æternæ ſalutis pertinere ad Principem, quod tamen alibi jam aliter ſe habere oſtenſum. Pertinet ad Principem cura ſecuritatis externæ, at hæc non læditur per publicationem etiam falſæ doctrinæ. *O.* Imò læditur & hæc, quia turbis dat occaſionem. *C.* Et illud oſtenſum eſt à multis, turbarum autores non eſſe eos, qui, quæ credunt, confitentur, ſed qui hanc confesſionem violenter ſupprimere ſatagunt, unô verbô hæretifices, non hæreticos. *O.* Quidſi verò hæretici ipſi ſimul fiant hæretifices, nec tolerare velint veram religionem? *C.* Id ad præſentem quæſtionem non pertinet. Neque enim volo, licentiam dandam diſſentientibus, cum impetu, & injuriis aliorum diſſeminandi ſuam doctrinam. Nolo, publicum præcisè & condominans exercitium iis concedendum eſſe: nolo, concedendum eſſe diſputationes publicas ac provocationes. Tantum volo, confesſionem debere eſſe liberam, & cultum privatum, volo, conventus amicos & diſcurſus quotidianos de religione non ſtatim traducendos eſſe tanquam conventicula & quæ fiant in fraudem legis. Et ſic intelligo etiam ſententiam Viri Celeberrimi Joh. Chriſtophori Becmani, qui in *diſſertatione de jure ſubditorum circa ſacra* defendit, concedi debere ſubditis, in religione diſſentientibus à principe, ut non ſolùm credant, quod ipſis perſvaſum eſt veritati convenire, ſed &, ut de religione ſua diſſerant. (d) Cujus conſenſum ideò adduco, ut ſentias,

(d) *d. diſput. c. 3. §. 11. ſeqq.*

ſentias, ſententiam meam, etſi communi opinioni adverſam, non tamen planè novam eſſe. *O.* Dixiſti paulò ante, doctrinam communem de prohibitione propalationis eſſe pallium tyrannidis in conſcientias. Velim iſtud aſſertum diſtinctius exponi. *C.* Lubentisſimè. Conſidera quæſo, ſi ſecundum eam doctrinam indulgeatur quidem diſſentientibus credere, quæ confitentur, interdicatur vero propalatio, & verò ejusmodi hæreticus vel quaſi, inter ſuos etiam, de ſua religione colloquatur, adſtante ſaltem ſubdito religionis dominantis, aut, ſi in converſatione quotidiana cum ſubditis alterius religionis, ut naturaliter fieri ſolet, de ea modeſtiſſimè conferat, vel ex communi hominum inſtinctu aliis perſvadendi ea, quæ credimus vera, vel animô ſuam religionem ab alterius objectionibus & conſequentiarum conſequentiis defendendi; ſtatim accuſabitur ut transgreſſor legis, & ſub prætextu, quod actus externus voluntatis ipſi fuerit interdictus, non fides, eò graviùs, inſtigante clerô hæretifice, punietur. Qui mundum novit & artes tyrannicas, etiam illud obſervavit haud dubiè, ejusmodi hæreticis, etiam ſua natura taciturnis, inſidias ſtrui à Clero Papæo, aut Papizante, ita, ut inſtruantur homines ſubdoli, religioni dominanti addicti, iique hæreticos illos accedant, aut eorum amicitiæ ſe inſinuent, tum ſub ſpecie fiduciæ iis dubia quædam proponant, ac ſimulent, acſi in religione ſua vacillent, ac veritatem de alterius confesſione guſtare incipiant. Quis hic tam potens foret, ut non ejusmodi emiſſario ſub mutuâ fide iterum cor ſuum aperiat, ei de veritate agnitâ gratuletur, eumque adhortetur, ut inceptis pergat, aut ei libros etiam ſuorum ad meliorem informationem commodet? Hôc verò obtentô, is delator ad Clerum ſuum. Hic principi defert. Iſte verò hæreticus bonæ fidei, ac ſæpè melior ſubditus quam ambo delatores, ut magni criminis, ſcilicet pertinacis inobedientiæ reus, pœnas luit. *O.* Eſt ita, uti dixiſti. Sed quoniam ferè cardo diverſæ ſententiæ hic vertitur, vellem opionem tuam non ſolùm ratione, ſed & ex ſcriptura confirmari. *C.* Convenienter admodum ſuccurrit proceſ-

ſus Phariſæorum cum Apoſtolis, in Actis Apoſtolicis (e) deſcriptus. Erat religio Phariſaica dominans, certè intuitu religionis Chriſtianæ. Chriſtiana ergo pro hæretica habebatur, quam populo proponebant Apoſtoli. Moleſtè ferebant ſacerdotes, quòd docerent Populum, non quod ipſi hæc crederent, carceri eos itàque mancipabant, iiſque non libertatem ſentiendi imminuebant, ſed propalationem ſaltem interdicebant; non parentes carceri rurſus includebant, liberatos, per angelum, ac rurſus adductos, non increpabant de actu intellectus, ſed de actu voluntatis, quòd nimirum contra prohibitionem ſenatus docuerint plebem in nomine Jeſu. Et ſub hoc prætextu interfeciſſent tanquam ſeditioſos, niſi admonitione Gamalielis eò adducti fuiſſent, ut mitiorem ſententiam fuſtigationis duriori illi prætuliſſent. Jam expende, an ovum ovo ſimilius, quàm proceſſus Phariſæorum proceſſui, qui ex doctrina communi profluit, hæreticos non puniendos propter fidem hæreſeos, ſed propter propalationem. O. Ego verò maximam differentiam ſubeſſe arbitror. Nam religio Apoſtolica erat vera religio, iſti verò loqvuntur de hæreticis. C. Sed ſuprà dixi, nullum eſſe judicem veritatis, civilem ſcil. in his terris, & Salvianô ſuffragante in verbis ſuperius adductis, etiam hæretici bona fide credunt errorem ſuum, omnesque ſectæ pro ſe allegant dictum Apoſtolorum: *Obediendum eſſe magis Deo*, in profeſſione fidei *quàm hominibus* (f) in occultatione ejus.

XII.

O. Reſtat adhuc una ſententia noſtrorum de crimine Hæreſeos: Scilicet hæreticos eos, qui blaſphemi ſimul aut ſeditioſi ſunt, puniri poſſe etiam capitaliter, non quidem quà hæreticos, ſed quà blaſphemos & ſeditioſos. (a) Ab hac ut diſſentias, credo non habebis cauſam, cum confeſſi juris ſit, ſeditioſos & blaſphemos capite plectendos eſſe, aut non injuſtè plecti poſſe. C. De ſeditionis quidem pœna nihil urgeo. At de pœna blaſphemiæ multa forent admonenda, cùm circa definitionem blaſphemiæ

miæ

(e) c. 4. & 5. (f) Act. V. 29.

miæ communem tot fere ſint dubia, quod circà definitionem hæreſeos. Nam & ſancti viri in tentationibus Deo qvandoque maledicunt, & rationi adverſa eſt extenſio criminis blaſphemiæ ad eos, qui intentionem maledicendi non habent, ſed putant, ſe bene facere, etſi ſint in gravi errore. Unde rurſus eôdem modô in communi doctrina contra communia juris principia fiunt multæ blaſphemiæ ſpecies, quæ dolo carent &c. Sed meretur doctrina de blaſphemia peculiarem diſcuſſionem. Ergo jam quidem ab iſtis obſervationibus abſtraham, & illud ſaltem tibi in aurem dicam, iſtas limitationes ſecundum communem explicationem & praxin eſſe nova pallia tyrannidis in conſcientias, & reipsâ ubique prætextus afferuntur, etiam ſub noſtro Papatu in omnes hæreticos ſæviendi, tanquam in blaſphemos & ſeditioſos. Equidem Pontificiorum minûs aſtuti clarè profitentur, omnes hæreticos eſſe blaſphemos & ſeditioſos (b) & notum eſt, in primos Chriſtianos ſub prætextu, acſi horrendis vitiis eſſent addicti, inter quæ etiam blaſphemia & ſeditio potisſima erant, fuiſſe crudelisſimis ſuppliciis ſævitum, de quo eruditum tractatum ſcripſit B. Kortholtus. Quis numerare poſſet, quoties noſtri à Pontificiis, aut Reformati à noſtris hæreticibus blaſphemiæ ſint accuſati? (c) Tu mihi ipſi ſuprà blaſphemiam imputabas. In proceſſu Pontificiorum adverſus noſtros, nonnunquam ut crimen læſæ majeſtatis imputatum ipſis eſt, quòd de Principe ſuſpicarentur, acſi injuſta & quæ ſint contra conſcientiam ab ipſis poſtularet. (d) Unicum ſaltem adhuc ex te ipſo quæram. Quid putas, uter ex illis pro ſeditioſo vel turbatore pacis publicæ habendus eſt? An is, qui tyrannidem in alterius conſcientiam exercere vult, an alter, qui id modeſtè recuſat? *O.* Haud dubiè prior. *C.* Erras, amice. Poſterior eſt ille pacis turbator.

O. Sci-

(a) *Ziegl. ad Lancell. p. 791. & 941. Carpz. Pr. Crim. qv. 44. n. 41. ſeq. Chemnit. Part. 2. Exam. Concil. Trident. p. 92. Pomar.* unter. Be-

O. Scilicet, ut agnus in fabula, qui lupo in ſuperiori alvei parte ſtante, aquam turbaverat. Jocaris fortaſſe. C. Imò, proh dolor, non jocor. Sed ita ſeriò docetur à primariis doctorum noſtrorum. Noſtine hunc librum? O. Cur non noſſem? Eſt Formula Concordiæ. C. Quid hic legis in præfatione? O. Video *turbulentos contentioſosque homines* appellari, *qui ad nullam formulam purioris doctrinæ adſtringi ſe patiuntur.* (e) Id certè non putaſſem, nec unquam anteà obſervavi. C. Obſerva ergo, quid faciat præjudicium autoritatis. Sed aliò vocant me negotia, gratias ago pro benevola collatione. Tu, ſi quædam tibi occurrant, vel ab aliis ſuppeditentur, quibus dubia mea tolli poſſint, amice communica. Primus ero, ſi erroris fuero convictus, qui meos errores publicè revocabo eosque condemnabo. O. Faciam lubenter. Interim Vale!

SUMMARIA DISSERTATIONIS.

I. *Occaſio diſſertationis & ſtatus controverſiæ.* II. *Leges humanæ, omnium verò minimè Jus Juſtinianeum & Canonicum in hâc controverſia pro fontibus, unde probationes petendæ, aſſumi poſſunt. Cur Auguſtini autoritas hic exulare debeat. Non alii fontes hic agnoſcendi, quam revelatio & ratio.* III. *Definitiones hæreſeos, quas tradunt Jus Civile & Canonicum, rejecta. Definitio communiter recepta, in quâ conſentiunt Pontificii, Lutherani, Reformatæ, quod hæreſis ſit* pertinax error, in fundamento fidei, ejus, qui eſt, aut fuit membrum Eccleſiæ. *Quæ explicatur.* IV. *Oſtenditur in definitione hæreſeos obſcurum eſſe terminum* Eccleſiæ, *ac circa eum multa papizantia irrepſiſſe Scholas noſtras: Item obſcurum terminum* fundamenti *fidei. Incertitudo ea in re noſtratium. Tempus, locus, & diverſitas perſonarum ſæpe variarunt fundamentales articulos. Declaratur exemplo Flacii, Patrum Chiliaſtarum, aliisq́. Fabrica conſequentiarum ex conſequentiis. Schiſmaticorum & Hæreticorum differentia hodierna civilitati & ruſticitati Cleri originem debet. Confeſſio de vero fundamento fidei. Non opponuntur juſtè fructus fidei ejus origini aut cauſæ.*

V. Ob-

(e) *vid. præfat. F. C. ferè circa finem.*

V. *Obſcurus eſt terminus* fidei. *Inconſtantia noſtrorum in requiſitis fidei. Variatio textus Latini & Germanici in compendio Hutteri & libris Symbolicis. Specimen ejus rei ex Apologia. Fides alia intellectus in cerebro, alia voluntatis in corde. Incertum, an noſtri fidem ſalvificam quærant in cerebro, an in corde. Prius veroſimilius. Probatur ex compendio Hutteri, & Apologiâ. Oppoſitio fidei & dilectionis, Dilectionem oriri ex fide intellectuali, ortum ex falſa ſententia Philoſophiæ Paganæ, intellectum emendare voluntatem. Diſſenſus Theologorum eſt de fide intellectus. Orthodoxias & Heterodoxias voces ad intellectum pertinent. Fides ſalvifica in Symbolo Athanaſiano eſt merè intellectualis. Doctrina ſalvifica ſynonymum fidei ſalvificæ. Doctrina theoretica ſalvum non reddit. Orthodoxia Judæ. Etiam pœnitentia & converſio apud nos ſunt opera intellectus, aut ſæpe ne hoc quidem. Converſi noſtri mores non mutunt.* VI. *Obſcurum, quis hæreticus ſit* pertinax. *Aliqui omnes, etiam Auditores pro pertinacibus habent. Noſtrates fatentur, difficile eſſe, judicare de pertinacia Hæreticorum. Diſtinctio inter materiales & formalos hæreticos; ſeu ſeductores & ſeductos rem non declarat. Pertinacia vel circa res intellectus, vel circa res voluntatis. Prior vel eſt nævus intellectus, vel malitia in voluntate. Prior impropriè pertinacia & huc non pertinet. Poſterior rarò dabilis eſt. Vel calumnia vel ignorantia: Doctores errantes regulariter docere contra conſcientiam. Convictio errantium Chriſtiana & Apoſtolica. Convictio Papalis, Poſterior etiam apud nos regnat.* VII. *Obſcurum, quid ſit* error in fide. *Deeſt judex. Qui ſcripturam judicem volunt, re ipſa gloſſas ſcripturæ loco ſcripturæ ſubſtituunt, Provocatio ad analogiam fidei ſæpe eſt negatio concluſionis in adverſarii argumento. Elegans locus Salviani, dicta illuſtrans.* VIII. *Hæreſis non poteſt venditari pro crimine, quamdiu incertum eſt, quid ſit hæreſis. Communis uſus potisſimas voces Scripturæ S. ad uſum profanum detorſit. Exemplum virtutem intellectualium,* Γνῶσις ψευδόνυμος. *Hæreſeos voce aliter utitur Scriptura, quam hodie communiter utuntur. In Scriptura Schiſmata & hæreſes ſunt ſynonyma. Item* οἱ ἀποδιορίζοντες, Spaltungen/ Rotten. *In Scriptura hæreſis*

Hæretificem fore Hæreticum. Confuſiones nominum. Hæreticum & Hæretificem ſimul eſſe non implicat. Lutherus ἀποδιορίζοντες *reddidit* die da Rotten machen. *Horum Synonymum* die Ketzer machen. IX. *Hæreſis non poteſt eſſe crimen, quia error eſt. Voluntas corrumpit intellectum, Epheſ. IV. 18. Exinde tamen non ſequitur, hæreſin eſſe crimen. Fallacia plurium interrogationum. Fallacia ineptarum conſequentiarum, admixta diſputationi per quæſtiones. Error hæreticus partim opus intellectus, partim voluntatis. Fallacia ineptæ converſionis. Vitium à Crimine differt. Non omne vitium pœna notari poteſt. Hæreſis non eſt crimen læſæ majeſtatis divinæ. Deus vindictam læſæ majeſtatis ſuæ principibus non commiſit. Alii autores, qui negant hæreſin eſſe crimen.* X. *Papizans noſtratium ſententia, hæreticos poſſe puniri infamia, relegatione, incarceratione &c. Turpiter negatur à Pomario, relegationem &c. eſſe ſpecies coactionis. Diſtinctio Pomarii Papiſtica inter cogere ad fidem & ad media fidei. Hæretici an excommunicari poſſint? Excommunicatio non eſt pœna ſpiritualis, ſed temporalis. Dimiſſio ex cœtu ejus, qui moribus reliquorum ſuos accommodare non vult, omni quidem cœtui competit, ſed non eſt pœna, nec excommunicatio in his terminis ſubſiſtit. Excommunicatio maximam partem Papiſmum ſapit. Chriſtus Matth. XIIX. 17. non agit de excommunicatione, ſed de conveniendis fratibus coram judicio Ethnico. Alia loca pro excommunicatione falsò adducta.* XI. *An Princeps imperare poſſit, ne doctrina ſaltem erronea propaletur, & doceatur, cùm propalare ac docere ſint actus voluntatis? Non omnes actus voluntatis legi ſubjacent: e, g. actus liberalitatis, manſvetudinis, gratitudinis &c. Moraliter impoſſibile eſt, non differere de iis, quæ quis vera credit, aut aliter, ac credat, differere. Quædam moraliter impoſſibilia poſſunt lege notari: quod tamen ad propalationem religionis extendi non debet. Per propalationem hanc non læditur Reſp. ſed per tyrannidem conſcientiarum. Conceſſio loquendi de religione, quomodo tempemnda. Oſtenditur, probibitionem loquendi eſſe pallium tyrannidis in conſcientias. Illuſtrantur dicta ex proceſſu Phariſæorum cum Apoſtolis.* XII. *Denique paucis oſtenditur, communem doctrinam, hæreticos blaſphemos & ſeditioſos capite punire poſſe, ſecundum communem praxin ita extendi, ut ſævire posſint hæretifices in hoſtes quosvis. Et in doctrina de blaſphemia ſunt multi errores communes. In præfatione F. C. pro ſeditioſis habentur, qui ſe formulis adſtringi non patiuntur.*

Cla

Clariſſimo Domino RESPONDENTI,
Fautori & Amico ſuo honoratisſimo,
S. P. D.

PRÆSES.

ACceſſiſti Academiam noſtram, *Clariſſime Rubi*, ibiq; admiſſionem ad licentiam ſummos in utroque Jure honores ambiendi, & conſveta examina petiturus, ut ſtatutis Facultatis noſtræ ſatisfaceres, exhibuiſti mihi Diſputationem de crimine Hæreſeos doctè elaboratam. Legi, atque eruditionem tuam eò magis æſtimavi, quo diutius à meditationibus theoreticis diſtractus jam per decem annos & ultrà in non uno loco cum ſucceſſu forenſium cauſarum patronum egiſti. Cum tamen Diſputatio illa tua prolixior eſſet, quàm, ut intra tam breve temporis ſpatium, quod tuæ commorationi deſtinaveras, in ordinem redigi, &, quæ in delicata iſta materia hinc inde addenda videbantur, pro dignitate ſuppleri poſſent, ægrè non feres, quod eandem tibi in ſecundis curis poliendam reddam, & ſimul reddam meditationes meas circa primariam quæſtionem in hac doctrina, & quæ fundamenti loco ponenda eſt, ſuperſtruendis quæſtionibus ſpecialibus, iisque variis, de pœnis hæreticorum, quà extra judicialibus, quà judicialibus, quas jam in dicta Diſſertatione tua doctè definiveras, & Papiſmum, qui hac parte ſe in Jurisprudentiam Eccleſiaſticam Proteſtantium inſinuavit, ibique jam firmas egit radices, ſubinde annotaveras. Quamvis autem inſolitum ſit, per modum dialogi Diſputotionem publicam ſcribere, placuit tamen, præ aiis, eâ jam methodo uti, quoniam communis doctrina, quam ibi noto, ita in animis docentium pariter & diſcentium regnat, ut diſſentientes gravius adverſus me irritaſſem, ſi ſententiam meam categoricè & poſitivè, ut in ſcholis loquimur, adſtruxiſſem. Ergo problematico ſcribendi genere uſus ſum, ac ſub

mea adverſus ſententiam, quæ ferè unanimi noſtrorum conſenſu pro orthodoxa habetur propoſui, eamque ob cauſam collocutori nomen *Orthodoxi* dedi. Operam dedi ſedulo, ut verba in factum temperarem, etiam in notandis ſententiis; quæ mihi gravisſimè papizare videntur. Quod ſi id re ipſa etiam præſtiti, gaudeo, & gratias ago DEO manſvetudinis. Quodſi præter intentionem quædam adhuc vel duriora videantur, aut obſcurius poſita, ea publcè deprecor, ac ut imbecillitati meæ condonentur, decenter oro, atque ut ſaltem mihi, non tibi imputentur, precor. Cæterum, cum ita mos ſit, ut ſententiis communibus contradicentes à Zelotis pro heterodoxis aut hæreticis & non γνησίως Lutheranis traducantur, non inutile erit, in gratiam potisſimum Principum ac Politicorum & Aulicorum quædam loca Lutheri ſubjungere, ex quibus apparebit, Lutherum ipſum ea, quæ hic defendo, jam ſuo tempore, pro eo, quo præditus erat ſpiritu, gravibus verbis inculcaſſe. Eſt vero præprimis iſte locus egregius ad oſtendendum, quod Lutherus doctrinam de *relegandis aut excommunicandis* hæreticis, item de *interdictione, ne loquantur de hæreſi ſua*, improbaverit. Excerpſerunt eum ex Lutheri *Tom. II. Jenenſi* ipſi Wittebergenſes *in Conſil. Part. 3. f. 88. b. & 89. a.* So ſprichſt du abermahl / ja weltlich Gewalt zwinget **nicht zum Glauben / ſondern wehret nur äuſſerlich / daß man die Leute mit falſcher Lehre nicht verführe / wie könte man ſonſt den Ketzern wehren?** Antw. Das ſollen die Biſchöffe thun / denen iſt ſolch Amt befohlen und nicht den Fürſten. Denn Ketzerey kan man nimmermehr mit Gewalt wehren / es gehöret ein ander Griff darzu / und iſt hie ein ander Streit und Handel / denn mit dem Schwerd. GOttes Wort ſoll hie ſtreiten / wenn das nichts ausrichtet / ſo wirds wohl unausgerichtet bleiben von weltlicher Gewalt / ob ſie gleich die Welt mit Blut füllet. Ketzerey iſt ein geiſtlich Ding / das kan man mit keinem Eiſen hauen / mit keinem Feuer verbrennen / mit keinem Waſſer erträncken ꝛc. Darum ſiehe / wie feine kluge Junckern mir das ſind / ſie wollen Ketzerey vertreiben / und greiffen nichts an / denn damit ſie den Widerpart nur ſtärcken / ſich ſelbſt verdächtig und jene rechtfertig machen. Lieber / wilt du Ketzerey vertreiben / ſo muſt du den Griff treffen / daß du ſie für al-

len

len Dingen aus dem Hertzen reiſſeſt / und gründlich mit Willen abwendeſt / das wirſt du mit Gewalt nicht ändern / ſondern nur ſtärcken. Was hilfft dichs denn / ſo du Ketzerey in dem Hertzen ſtärckeſt / und nur auswendig auf der Zungen ſchwächeſt und zu liegen dringeſt? GOttes Wort aber / das erleuchtet die Hertzen / und damit fallen denn von ihnen ſelbſt alle Ketzerey und Irrthum aus dem Hertzen. ꝛc. Summa Summarum, ſolche Fürſten und Tyrannen wiſſen nicht / daß wider Ketzerey ſtreiten / ſey wider den Teuffel ſtreiten / der die Hertzen mit Irrthume beſigt / ꝛc. Darum ſo lange man nicht den Teuffel abſtoßt / und von dem Hertzen jagt / ſo iſts ihm eben / wenn ich mit dem Schwerdt oder Feuer ſeine Gefäß umbringe / als wann ich mit einem Strohhalm wider den Blitz ſtritte. ꝛc. Man ſiehet es auch wohl in der Erfahrung / denn ob man gleich alle Jüden und Ketzer mit Gewalt verbannet / ſo iſt und wird doch keiner dadurch überwunden noch bekehret ꝛc. Porro Lutherum ſtatuiſſe, *ad jura Principis non pertinere converſionem hæreticorum*, ſequens locus docet, quem ex Tom. II. Jenens. f. 180. ſeq. adducit Ant. Benbellona de Godentiis *in ſuſcitabulo Princip. Part. 2. cap. 6. p. 48.* Liegt einem jeglichen ſein eigen Gefahr daran / wie er gläubt / und muß für ſich ſelbſt ſehen / daß er recht glaube / denn ſo wenig als ein ander für mich in die Hölle oder Himmel fahren kan / ſo wenig kan er auch für mich glauben oder nicht gläuben. Und ſo wenig er mir kan Hölle oder Himmel auf- oder zuſchlieſſen / ſo wenig kan er mich zum Glauben oder Unglauben treiben. Welches denn einem jeglichen auf ſeinem Gewiſſen liegt / wie er gläubt oder nicht gläubt / und damit der weltlichen Gewalt kein Abbruch geſchicht / ſoll ſie auch zu frieden ſeyn / und ihres Dinges warten und laſſen gläuben / ſonſt oder ſo / wie man kan und wil / und niemand mit Gewalt dringen / denn es iſt ein frey Werck um den Glauben / dazu man nieman ſoll zwingen. ꝛc. Ille vero locus, quem ex *T. I. f. 348.* refert idem Benbellona *d. l. p. 49.* docet, ex mente Lutheri *propagationem religionis non pertinere ad poteſtatem Legislatoriam:* Tom. 1. fol. 348. Der Pabſt handelt damit unrecht / daß er die Leute mit Geſetz zwingen und dringen will / denn in einem Chriſtlichen

be und das Chriſtliche Weſen unter ꝛc. Et de *doctrina ac moribus ſui temporis* gloriatus eſt Lutherus quod in hæreticos nec *relegatione*, nec *incarceratione* animadverti debeat, aut animadverſum fuerit: *ſuper Evang. 4. Dom. Trinit.* apud Benbellonam *P. 2. c. 8. p. 52.* Wir können uns rühmen wider die Papiſten / daß wir / GOtt Lob / niemand ums Glaubens willen **ins Gefängnis geworffen: Keinen von Haus / Hof / Weib und Kind vertrieben:** Vielweniger darum geköpfft / erſäufft / verbrennt / gehenckt ꝛc. Rurſus de *impoſſibilitate coërcendi hæreticos per leges*, & quod *Sophiſtæ ſint, qui Principibus iſta perſvadent ex d. Tom. 2. Jenenſi* affert idem Benbellona *Part. 2. c. 12. p. 94. 95.* Der Seelen ſoll und kan niemand gebiethen / er wiſſe ihr dann den Weg zu weiſen gen Himmel / das aber kan kein Menſch thun / ſondern GOtt allein; Noch fahren unſere kluge Fürſten alſo / und laſſen ſich Pabſt / Biſchöff und Sophiſten dahin führen / ein Blinder den andern / daß ſie ihren Unterthanen gebiethen / zu glauben / ohne GOttes Wort / wie ſie es gut dünckt. Item: Ich ſags abermahl / GOtt will nicht gezwungenen Dienſt haben / was macht ihr doch ihr Fürſten und Herren / daß ihr die Leute zu GOtt treibet / ohne ihren Willen und Danck! **Iſt das nicht euer Macht und Amt zu thun** / ſollten wir alle toll und thöricht werden / ſo wird er um unſers Treibens und Zwingens willen / nicht anders geſinnet werden. Er ſpricht: Niemand kömmet zu mir / mein Vater ziehe ihn dann. Iſt das nicht klar genug? Der Vater muß ziehen / ſo wil ein Menſch treiben. Was ſich GOtt nicht unterſtehet / das wil ſich der arme Wurm unterſtehen / darzu durch einen andern unwilligen zu thun / das er ſelbſt nicht thun kan. Reliqua aliàs. Vale. DEUS utrumque noſtrum confortet in ſtudio veritatis & abnegstione ſui. Dabam ex Muſeo d. 11. Julii 1697.

VA11523770